



Nicht ausleihbar



79/02372

D. Sp. J. No 81. fol.



I D E A
MAGNI PRINCIPIS,
S I V E
ORATIO PANEGYRICA
I N

O B I T U M

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI

D. FRIDERICI
WILHELMI

REGIS BORUSSIÆ,
MARGGRAVII BRANDEN-
BURGICI, S. R. I. ARCHICAMERA-
RII ET ELECTORIS, SUPREMI ARAU-
SIONUM, NEOCOMENSII, ET VALANGINORUM
PRINCIPIS, DUCIS GELDRIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIÆ,
JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM,
VANDALORUM, MEGALOPOLEOS, UT ET CROSNAE IN SILE-
SIA, BURGGRAVII NORIBERGENSIS, PRINCIPIS HALBERSTADII,
MINDÆ, CAMINI, VENEDORUM, SUERINI, RACEBURGI, FRI-
SIÆ ORIENTALIS, ET MOERSIÆ, COMITIS HOHENZOLLERÆ,
RUPINI, MARCÆ, RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECK-
LABURGI, LINGÆ, SUERINI, BURÆ, ET LERDAMI,
DYNASTÆ RAVENSTEINII, TERRARUM ROSTOCHII,
STARGARDIÆ, LAUENBURGI, BUTAVII,
ARLAVIÆ ET BREDÆ, &c. &c.

DOMINI NOSTRI QUONDAM CLEMENTISSIMI,
E X

MAJESTATIS REGIÆ
MANDATO SUPREMO,
NOMINE SENATUS ACADEMICI

ANNO c1o10ccxl. IV. NONAR. JULII

H A B I T A A

JOANNE HILDEBRANDO WITHOFIO

Historiar. Eloquent. & Gr. Ling. Profess. Ordinario.

Accedunt

Notæ quædam, & Emendationes locorum insignium hanc Ideam illustrantium.

DUISBURGI ad RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.



20

MAGNI PRINCIPIS
ORATIO PRINCEPS

D. Sp. G. 81 fol.



O B I T U M
PRINCIPIS ET DOMINI
D. FRIEDERICI
WILHELMI
REGIS BORUSSIE
MARGARAVI BRANDEN-
BURGICI, S. R. I. ARCHICAMERA-
RII ET ELECTORIS SUPREMI ARABU-
MONTANUM ET VALANDUNORUM
PRINCIPIS DUCIS GELDRE, MAGDEBURGI CIVITIS
JULIAE MONTANAE STETTINI, POMERANIE CASUBORUM
VANDALORUM ALGALOPOLIS, UT ET GROSSE IN SILE-
SIA BOGOTAVI NORIBERGENSIS PRINCIPIS HALBERSTADII
MILITIS SASSONIE VANDUNORUM SUEBIE RACHENI ET FRI-
SIE GROSSE ET MORSII, COMITIS HONOLII LITVAE
DUCE MARIE A VAYERSBERG MOENSTENII TUCK-
ERBERGII, SUEBIE, BURNI, ET LITVANIE
DUCE SASSONIE, TERRITORY HONOLII
STADII, LITVANIE, BURNI, ET LITVANIE
LITVANIE ET BURNI, BURNI, ET LITVANIE
LITVANIE ET BURNI, BURNI, ET LITVANIE

MAJESTATIS REGIE
COMITIS SENATUS ACADEMICI
JOHANNES NIDDER ANDO WITTHOIS

Typ. J. J. Neumann, Neudamm, Typogr. H.

1307 094 04

AUGUSTO

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

D. FRIDERICO

REGI BORUSSIÆ,
MARGGRAVIO BRANDEN-
BURGICO, S. R. I. ARCHICA-
MERARIO ET ELECTORI,

SUPREMO ARAUSIONUM,
NEOCOMENSIUM ET VALAN-
GINORUM PRINCIPI,

DUCI GELDRIÆ, MAGDEBURGI,
CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STE-
TINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VAN-
DALORUM, MEGALOPOLEOS, UT
ET CROSNÆ IN SILESIA,

BURGGRAVIO NORIBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ,
CAMINI, VENEDORUM, SUERINI, RACE-
BURGI, FRISIÆ ORIENTALIS,
ET MOERSIÆ,

COMITI HOHENZOLLERÆ, RUPINI, MARCÆ,
RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECKLABURGI,
LINGÆ, SUERINI, BURÆ, ET LERDAMI,

DYNASTÆ RAVENSTEINII, TERRARUM
ROSTOCHII, STARGARDIÆ, LAUENBURGI,
BUTAVII, ARLAVIÆ, ET BREDÆ, &c. &c.

DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,

VITAM LONGÆVAM, ET IMPERIUM FELIX
ATQUE GLORIOSUM APPRECAMUR.

REX SERENISSIME



As TIBI pagellas, raptò super æthera nuper
Conscriptas Magno de GENITORE, sacras,
Hæc tenues nostri cultus animique Clientes
Pignora devota mente manūque damus:
O jubar, o longo Proavorum sanguine tangens
Quaslibet antiquas, Rex FRIDERICE, Domos.
Accipe cum fuis imò de pectore votis
Mentis & officii parva tributa pii.
Proximus esse Deo TU cum videare supremo,
Ipsius in terris utere more Dei;
Cui, modo sincerâ fuerit si mente voluntas,
Pauperis arridet parvula mica salis,
Præque cruentatâ taurorum sanguine terrâ,
Lancibus aut plenis, vilis arista placet.
Rex ita Persarum non aspernatus agresti
Porrectum laticem dicitur esse manu,
Et tulit hoc miros generoso pectore plausus
Totius humani, tempus in omne, gregis.
Ipse TIBI certe se commendabit Avorum
Splendor, & excelsæ Gentis imago Tuæ,
Rebus & erepti mortalibus alta PARENTIS
Gloria, Lethêo non abolenda vado;
Cujus adumbratum specimen solenniter audet
Porgere submisso pectore nostra manus.
Interea Pylios decurre, fluentibus, annos,
Omnibus ad votum compositisque TUUM:
Sisque Diis curæ, terræ populisque stupori:
Sisque, quod es verè, lumen & orbis amor.

Publico Academiae Tuæ nomine

devotissimus cultor

JOANN. HILDEBR. WITHOFIUS.



Um primum de luctuoso tristique Serenissimi ac Potentissimi Principis FRIDERICI WILHELMII, Regis nostri quondam Clementissimi, nunc etiam post cineres bustaque colendi obitu rumor percrebuiisset, facile in animum inducebam, Aud. O. O. Honor. ut crederem, tanti tamque stupendi Herois Manibus non minus ex debito, quam ex solenni & inveterata majorum nostrorum consuetudine parentandum esse. Quamquam enim non ignorabam, incomparabili huic Principi, insolitis profecto, & humanam penè mediocritatem supergressis animi dotibus naturaliter, ac velut indubitato hæreditatis jure in eum devolutis instructissimo, nihil minus, quam longe quæsitæ verborum ambages, aut etiam operosum quemcunque in vita apparatus, arrisisse; nonnullas etiam vulgariæ ceremoniarum & nænarum pompas, velut onerosas & inutiles, interdum & noxias, nisi forsan exserendæ cujusdam majestatis, & regalis decentiæ ratio aliter flagitare videretur, Eum inusitata quadam & peculiari animi magnitudine averfatum fuisse; ita tamen mecum existimabam, Auditores, omnium interesse mortalium ac præsertim posterorum, ne tantæ tamque stupendæ, non modo jam Regiæ, cum pluribus ei communis factæ, sed etiam naturalis alicujus & ingenitæ majestatis, omnia vulgaria velut ex alto, & ut ita dicam, è sublimi mentis suæ specula contemplantis & dijudicantis, præcellentiæ nostro silentio, nostra culpa inertiaque obliteraretur. Ad propagandam magnarum virtutum gloriam pertinere arbitrabar, ad conservandam earum memoriam, ad animos nostros maximarum quarumque rerum admirationi assuefaciendos, ad communem denique generis humani utilitatem promovendam,

dam, si Principibus in terra viris, si inusitatis heroibus, singulari Superiorum munere & providentia velut ad insigne & nunquam intermoriturum exemplar concessis, talia etiam erigerentur monumenta, qualia oratorum esse solent vel historicorum, dum præclaras quasque virtutes non anxiiis distinctionibus, non operosa frigidissimarum sæpe regularum faragine, sed reapse, & ipsa exemplorum facti certitudinem comprobantium, imitandi autem vel subsistendi necessitatem suadentium luce illustrant pariter inculcantque. His ita in memoriam revocatis, facile mihi persuadebam, Aud. fieri non posse, quin tanti Regis memoria, qualem nuper non sine ingenti dolore & tristitia amisimus, etiam publice expullato hoc suggestu luctuosam rerum humanarum vicissitudinem satis indicante concelebranda esset. Quamquam enim per infinitam Dei clementiam & bonitatem totius florentissimi regni, plurimarumque aliarum regionum gubernacula in tanti tamque divini Successoris manus delata esse gaudemus, quo nec meliorem sperare, nec mitiorem omnium subditorum vota simul in unum collata sibi fingere, nec denique exulcerata horum temporum facies aptiorem desiderare posset, ipsa tamen pietas, ipsa vitæ nostræ ratio sub defuncti Regis, Domini nostri quondam clementissimi, tutela alisque transactæ postulat, ut & nos officio nostro pro virili satisfacere conemur, tantumque Regem, cum propter ipsum & tot singularia heroicarum virtutum documenta, tum vel maxime propter hunc longe clementissimum & omnibus numeris absolutum, quem nobis moriens reliquit, Hæredem, sempiterna memoria, & grata beneficiorum commemoratione prosequamur. Satis, opinor, intelligitis, Aud. Honor. quam bene nobis æquitatis & officii ratio constet, quantaque necessitate adacti ad verba de maximo quondam Rege nostro FRIDERICO WILHELMO facienda hunc locum conscenderimus, cujus cæteroquin mœsta & pullata facies, ut de materiæ ipsius & rerum dicendarum gravitate, copia, & multitudine taceam, animum nostrum tenuitatis suæ pulchre sibi conscium majore etiam caligine & tenebris confundere posset; præsertim cum brevissimi temporis spatium, post demandatam perorandi provinciam, vix debitè nos præparare, vix copiolas nostras colligere & sub signa vocare, vix denique

post

post altam illam & profundam animi consternationem spiritum recipere permiserit. Accedit muneris ipsius, & aliorum negotiorum difficultas & multitudo, quæ seponi quidem ad tempus, non tamen ex animo, ut plena & sincera serenitas obtineatur, penitus dispelli, & obliterari possunt. Agite itaque, Audit. Hum. dicenti favete, & si quid minus aptum decensque pro rei & materiæ dignitate protulisse videbor, cogitate, quæso, non mihi solum adhuc in artis hujus limine & vestibulo versanti, sed ipsi etiam Oratorum principi Tullio, si ab inferis in nostrum orbem iterum delatus esset, aut unicuique nostrum quamvis uberrimo doctrinæ & orationis flumine redundanti debitas vires in tanto tamque admirando rege vel leviter adumbrando defuturas esse. Cogitate periculosa alex discrimen, ne, si plurima etiam maximaque protulerimus, nonnullis, alia & simul longe plura se vidisse aut cognovisse recordantibus, ea non satis justo pretio mensi fuisse, vel penitus etiam ignorasse videamur. Quod tanto facilius mihi evenire posse prævideo, quia plerique ea, quæ ipsi sciunt & didicerunt, reliquis omnibus jure præferenda esse admodum pueriliter & imperite existimant. Cogitate denique, necessitati & officio parendum fuisse. Quid itaque primo, quid deinceps, quid ultimo loco proloquar? Immensum mihi videre videor Oceanum, cui enavigando, non dicam nostra, sed ne firmissimorum quidem laterum carina sufficiat. Natus est FRIDERICUS WILHELMUS, ut hinc ordiamur, quarto mensis Augusti die, juxta veteris Calendarii rationem, nisi fallor, quia & alibi decimum quintum ejusdem Augusti ipsi assignatum fuisse reperio, is videlicet omnis juventutis suo tempore florentis princeps, qui vere magnus, vere Augustus, & extraordinariæ cujusdam altitudinis Heros erat futurus. Annum habuit natalem post instauratam per Christum Redemptorem nostrum humani generis salutem millesimum sexcentessimum octogessimum octavum. Non ii sumus, Auditores, qui ridicula quadam & anili superstitione ducimur, cui, nescio quam, apud imperitos pietatem mentienti meretriculæ viri sapientes & cordati toties ob justissimas causas non modo dicam scripserunt, sed fordidam etiam repulsam dederunt; quoniam hæc iis plerumque rebus & circumstantiis adhærescit, quæ nullius ponderis & momenti esse ab hominibus sana

ratione & sale præditi merito censentur; eas vero contra susque deque habet & aspernatur, quæ arcem causæ sæpe constituere videntur, & ad quas maxime attendendum foret. Neque præterea anxiam illam & scrupulosam ominandi sollicitudinem, priscis non solum Romanis Græcisque, sed omnibus propemodum gentibus à veri Dei cultu & veneratione remotis usitatam, multum moramur. Vitilitigantium, ut vocant, prognosticorum somnia eodem apud nos loco numeroque ponuntur, quo ipsorum etiam Gnosticorum deliria. Si tamen ex dierum & annorum natalium memorabilibus circumstantiis de futura principum puerorum eo tempore in lucem editorum magnitudine vel conjecturam aliquam facere, vel spem concipere sine ulla vanitate permissum est, non potest sane ullum tempus ex duobus præcedentibus seculis in omni historia reperiri & ostendi memorabilius ac magis admirandum. Is enim ipse annus Serenissimo quondam Potentissimoque huic Regi nostro natalis, octogesimus octavus, non modo Avo ejus, FRIDERICO WILHELMO, tam re ipsa, quam appellatione magno, vero illi suorum temporum & omnis ævi usque ad postremam mundi catastrophem deinceps futuri miraculo, fatalis fuit, qui ante tres videlicet menses penultimo Aprilis die mortalium cœtibus ereptus, & in cœlestium animarum consortium translatus erat; quasi tum demum ex hoc fragili rerum humanarum domicilio in superas sedes tempestive se transmigrare posse credidisset, cum non modo filium relinqueret hæredem, omni virtutum genere, sapientia, bonitate, justitiâ & fortitudine coruscantem, dirigendoque tam amplarum ditionum suarum clavo maturas manus cum summa dexteritate & gloria injecturum, illum nempe FRIDERICUM jure meritoque Sapientem, & alterum seculi sui Salomonem cognominatum, defuncti Regis & Herois nostri ex SOPHIA CHARLOTTA, Hanoverana Principe, Illustrissimi Ernesti Augusti, Electoris primi, filia, omnibus animi corporisque dotibus consummatissima, parentem, sed cum ipsa quoque Natura novum aliquod miraculum sibi non absimile futurum, & suo pariter FRIDERICI WILHELMII nomine censendum, tam genuinum & mirificum nepotem parturiret. Non tanti modo solis, inquam, occasus alterius ortu parvo admodum temporis spatio interjecto reparatus

ratus est, sed lætiora etiam multa ac propemodum, stupenda, cum cæteris quibusdam orbis Europæi partibus, tum ipsi etiam Illustrissimæ Brandenburgicæ genti unicè grata, unicè exoptata, & salutaria contigerunt. Is, is, Audit. ipse annus etiam superioris seculi octogésimus octavus erat, quo Gulielmus tertius, immortalis Arausionensium Princeps, singulari Superiorum providentia atque tutela ad mitigandas abolendasque eorum temporum calamitates reservatus, & huic Electorali nunc etiam regię stirpi multis causis nominibusque, tum etiam sanguinis pariter atque affinitatis vinculo multipliciter fœderatus & connexus, universam Anglicanam gentem, universam Britanniam magnam, Hiberniamque, id est, florentissima cæteroquin trium populorum regna ex dirissima servitute in pristinam libertatem, ex immensis calamitatum & persecutionum fluctibus in certissimum publicæ securitatis optima fide instaurandæ portum, ex legum denique omnium, statutorum veterum, sacrorum & religionis, imo vitæ ipsius & salutis omni modo astuque in dubium & discrimen vocatæ jactura atque naufragio in antiquum iterum statum & felicitatem vindicavit. Is erat annus maximo quondam regi nostro natalis, quo elusis Jacobi Stuarti laqueis & tendiculis, summa simul cum audacia & temeritate, acerrimo, & nullius rei, quam libertatis & sacrorum, tenaciori populo destinatis, non solis tantum Britannis, toto, sicut veteres loquuntur, orbe remotis, sed vicino pariter Belgio fœderato, nostræ quin etiam Germaniæ, cæterisque regionibus & terris, puriora sacra & emendatas divini cultus ceremonias vel ex toto vel ex parte amplexis & exercentibus, securitas fuit parta; quo discussis & dissipatis terribilibus periculorum & calamitatum nubibus, jam quasi conglobatis & ex longinquo manifeste minitantibus, nova lux orta, nova serenitas omnibus sacrorum nostrorum aſſeclis & cultoribus apparere cæpit, & tali velut pignore vaticinata est, non alium quoque aliquando fore principem tunc recens natum FRIDERICUM WILHELMUM, quàm qualem ipsa tempora pene designabant, & omnes non sine proluxa spe & effusa hilaritate augurabantur. Et videte, quæso, Auditores, videte, inquam, & vobis in animum revocate atque memoriam, quam idem annus Rege quondam nostro in lucem edito præ cæteris notatu dignissimus,

mus, octogesima nimirum octava, seculo etiam superius illud præcedente purioribus sacrorum nostrorum ritibus & ceremoniis salutaris & exoptatus fuerit. Eo enim ipso ante centum annos tunc elapsos illud tam orbis universi, quam verum sexus & insulæ suæ miraculum, Elisabetha Regina, pari metu, pari calamitatum & vastationis periculo non modo regnum suum, sed vicinas quoque regiones omnes populosque, sui juris in sacris pariter civilibusque rebus conservandi cupidos, tunc autem velut in eadem cum Anglis libra suspensos atque nutantes liberavit, fusâ nimirum, profligatâ, & combustâ illa terribili Hispanorum classe, quam hi cædem sanguinemque spirantes jactatores, non urbibus solis, & conspicuis regionibus, sed præter corpora etiam sensibus internis, & religiosis de Deo ejusque vero cultu instaurando cogitationibus, hoc est, ipsis cæli arcibus, infernales suas machinas admovere consueti, non dubitaverant appellare Invincibilem; sed quam supremi Numinis, omnes ejusmodi Sennacheribicæ vel Salmonicæ vecordiae furores perosi & punientis auxilio, & propugnatorum alacriter advolantium dexteritate facile interdum & celeriter vinci posse, non sine maximo dedecore & ignominia experti fuerant. Sed quid diu recensendis ejusmodi temporum signis & indiciis, tanti Principis nostri, cujus obitum lugemus, natiuitati peculiariter & prope non sine præfagio concessis, immoramur, ubi uberiora longe, & cum majori certitudine, atque ratione conjuncta reperiuntur? Ex aquilarum præliis & rapinis assuetarum, ipsum etiam solem irretortis oculis intueri solitarum genere nunquam imbelles columbas procreari, nec generosum leonem pavidas damas leporesque producere, sed in teneris contra juvenis & equis patrum ipsorum virtutem & indubitata insitæ nobilitatis vestigia animadverti, etiam veteri proverbio docemur. Non poterat ex tam illustri & præclara gente Brandenburgica quicquam aliud, quam nobile, quam generosum, quam stirpis suæ & egregiæ radicis naturam indolemque referens germen prognasce, ad cujus laudem eximiamque gloriam nonnulla referuntur, quæ nusquam terrarum alibi vel reperiuntur, vel in ulla gente simul junctimque observantur. Ne, quæso, ne vobis in animum inducite, ut existimetis, nos Oratorio, aut pervulgato declamatorum more loqui. Historicum est, quod producimus,

&

& manifesta Annalium fide, quæ neutiquam laborat, comprobatum. Sunt autem ea diversa & plura, omnia vero plane singularia, & vix ullis, ut diximus, in hoc universo, quam late patet, terrarum orbe gentibus aut familiis tam peculiari Superiorum munere & benignitate concessa. Inter quæ illud primum diviniorei cuiusdam indolis ac virtutis indicium est, quod in tota hac Electorali Regiæque serie à Friderici primi temporibus in præsentem usque diem nemo adhuc repertus sit princeps, qui illaudabilis foret; illaudabilis autem? imo verò, qui non consentientibus omnium historicorum monumentis singularem gloriam, ipsa etiam invidia & livore majorem, hoc est, certissimum constantis & continuatæ virtutis fructum & mercedem reportaverit. Dabantur inter antiquissimos Persarum reges Cyrus, Darius Hystaspides, Artaxerxes Longimanus, & ille ob felicissimam tenacis memoriæ suæ fidem Mnemon cognominatus, vel laudati aperte, & meritissimis justitiæ, mansuetudinis, clementiæ, & nobilitatis laudibus mactati, vel nullo certe jure & colore ab iis, qui scapham scapham quidem appellare, neutiquam verò partium studio vel iracundiæ indulgere gestiunt, vituperandi: sed dabantur inter eosdem & Cambyfes, Xerxes, Sogdianus, Ochus, partim sanguinarii & crudeles tyranni, tum impii fratricidæ, partim turpes, ignavi, fraudulentis, contaminati, certe omnium vitiorum labe insigniter maculati ac propemodum cooperti. Macedones etiam suum quidem commemorant Philippum, ejusque filium Alexandrum, ob rerum gestarum amplitudinem Magni cognomine insignitum: Sed illum tamen perfidum & versipellem, omnia donis muneribusque corrumpentem, sola vero utilitate & commodis suis quælibet consilia & destinata metientem, arietatis penitus atque perruptis humanitatis & justitiæ repagulis, hunc autem ebrietatis, iracundiæ, flagitiosæ arrogantia, ipsius quin etiam libidinis mancipium fuisse non diffitentur. Quid vero de sequentibus post magni illius Alexandri obitum in Ægypto Syriaque regibus multa commemoremus? Inter quos paucissimis tantummodo exceptis nihil nisi monstra hominum, certissimas humani generis pestes vomicasque, nihil nisi turpissimos lurcones, vecordes, effœminatos, vera denique carcinomata, tyrannos & sicarios, imò patriæ suæ regni que non

principes & moderatores, sed cruentissimos potius vastatores reperietis. Omnes verò diversissimæ, plerosque tamen pessimæ indolis imperatores, sub quibus Roma toties ingemuit, veterisque libertatis suæ in licentiam penitus discinctam atque intolerabilem, imo in meram insaniam conversæ pœnas dedit, si in conspectum producere vellemus, eorumque scelera immania, turpitudines, & flagitia dilutis tantummodo coloribus depingere, dies nobis viresque deficerent. Novis principibus imperii sui gubernacula capeffentibus acclamare solebant, ut feliciores essent Augusto, melioresque Trajano. Et sane præter illos, Titumque Vespasianum, propter fortitudinem suam, incredibili mansuetudine & clementia temperatam, generis humani delicias appellatum, Nervam illum Coccejum, duosque simul Antoninos, Pium videlicet, & Philosophum, vix unum alterumve inter vetustiores laudabilem, dicam? an tolerabilem deprehendemus; ne de cæteris innumerabilibus aliis, certatim in quævis scelera, libidines, cædesque laxato quasi fræno semet effudentibus, & rarissimo bonorum principum intervallo disjunctis, multa proferamus. Conqueritur, ut ex hodiernis quoque regnis ac regionibus unum alterumque producamus, conqueritur, inquam, de inerti & turpissimo suo Wenceslao cum Germanis simul Bohemia, de crudelissimo Petro, stolidoque Alphonso Hispania atque Lusitania, de perfidissimo & cruento Christierno Dania, de immanissimo & terribili Ivano Basilide Moscovia; de aliis aliæ quoque gentes gentiumque Annales gravissimas, & nunquam desituras, quàm diu literis suis honos constabit, querelas excitant. Denique aut nulli Veterum, aut certe hæcenus non satis exploratæ cognitæque genti hæc gloria concessa fuit, ut omnes principes ex ea procreati bonorum numero sine controversia inferi meruerint. At hodiernæ Electorali Regiæque domui Brandenburgicæ soli, præter unam forsan alteramque, unanimi historicorum consensu, & conspirantibus scriptorum suffragiis, non immerito hic titulus, is egregiæ & peculiaris felicitatis cumulus tribuitur. Inde est, Auditores, quod olim Magno illi FRIDERICO WILHELMO, Serenissimi quondam REGIS nostri Avo, recens nato conceptis quasi verbis votam esse legimus Friderici primi magnanimitatem, Friderici secundi modestiam, Alberti fortitudinem, Johannis eloquen-

eloquentiam, Joachimi primi justitiam, Joachimi secundi auctoritatem, Johannis Georgii sapientiam, Joachimi Friderici pietatem, Johannis Sigismundi clementiam, Georgii denique Gulielmi patris sui gravitatem; his omnibus si ipsius deinde Friderici Gulielmi avi magnitudinem, & Friderici, primi illius Borussiae regis atque Electoris splendorem nos adjunxerimus, quid, quaeso, per Deum immortalem, aut pulchrius venustiusque fingi, aut uberius ab ullo mortalium sperari & exspectari potest? Inde porro est, Auditores, quod in hac gente, in hac tam pulchra & generosa majorum serie modo Achillem Germaniae quendam, modo Ciceronem Teutonicum exstitisse, alium Nestorem cognominatum, alios Ulysses, oculumque Germaniae, non sine manifesta Virtutum & meritorum praedicatione appellatos fuisse legimus. Talibus igitur tantisque Rex ille noster majoribus ortus si inusitatae plane rarasque animi dotes perpetua velut & continua haereditate ad se transmissas possederit, nec a magnanimo Parentum suorum sanguine degeneraverit, num quisquam jure mirabitur? Nam ultimam Hohenzolleranae gentis antiquitatem, canasque illas & ipsa propemodum vetustate obnubilatas origines ne attingamus, cum temporis angustiae, tum rerum locique circumstantiae manum nobis injicere videntur. Accedit immensa tanti laboris difficultas, cum stirpis hujus radices, unde hodierna illa Electoralis Regiaeque Domus Brandenburgica procrevit, tam profunda antiquitate septae, tam longinquis flexibus, & usque in Caroli Magni aetatem se extendentibus fibris quasi profeminatae fuerint, ut idem ferè de illis, quod de Nili fontibus & eorum perscrutatione, affirmare liceat, dum referunt, immane & admirandum hoc flumen esse, totique Aegypto sua caeteroquin ariditate & aestu laboraturae jucundum atque salutare, cujus tamen venae a nullo veterum physicorum accurate indagari, & avidissimis hominum mentibus, tam salubrium aquarum veras origines & natales scire cupientibus, demonstrari potuerint. Diximus, Auditores Honoratissimi, de prima illa, quam supra tetigimus, singulari Electoralis hujus Regiaeque gentis Brandenburgicae dote, nullum in tam numerosa Principum per tria secula & amplius summa dignitate fulgentium serie exstitisse, quin bonus, imo, ut Scipio quondam Nasica, optimus sui temporis

jure nominari potuerit. Sunt præterea & alia quædam peculiariora illustrissimæ huic genti beneficia à divino Numine largiter concessa, & quæ nusquam alibi, nisi nos memoria fefellerit, sive in Electorali, sive in Regia quapiam gente reperiemus, quæque non bonitatis quidem, & innatæ cujusdam heroicis animabus virtutis, sed eximiæ tamen insolitæque felicitatis titulo censeri merentur. Inter ea non immerito numerabitur, quod Serenissimæ huic Domui tanta faustitas in hodiernum usque diem per incredibilem Dei clementiam & benignitatem contigerit, ut non modo cessante uno nunquam defecerit alter, sed ut filii identidem successerint parentibus suis, perpetuo & sine ullo, ut sic loquar, hiatu vel interruptione, continuata lineæ descendens, ceu vocant, serie, tanquam amœnissima quadam & indissolubili sanguinis catena, quæ felicitas tandem eo majore cumulo aucta & amplificata fuit, quod illustrissimi quique filii in hac tam præclara & divina gente sublatis in cœlum Parentibus suis identidem & sine mora succedentes ea maturitate animorum pariter atque annorum, eo virium corporisque vigore, ea sapientiæ, consiliorum, & ad tractanda regni regionumque suarum gubernacula dexteritatis abundantia instructi fuerint, ut nunquam, velut sub teneris, obnoxiiis, & nondum adultis maturisve Principibus usitatum esse videmus, tutorum vicibus auxilioque indiguerint. Hac itaque tam laudabili, tam antiqua, tam felici & innumerabilibus ab immortalis Deo, rerum humanarum arbitro, beneficiis mactatâ gente ortum esse videmus illum quondam Serenissimum Clementissimumque, nunc & in cælis beatissimum regem nostrum, FRIDERICUM WILHELMUM. De materno autem genere, Auditores, de Hannoveranæ domus nobilitate & gloria nostris iterum temporibus ad supremum felicitatis apicem evectâ, de venerandâ & mirabili Guelphicæ stirpis antiquitate, factisque simul & fatis illustribus toto orbe decantatis, si hic multa in medium producere vellemus, verendum esset, ne extra oleas vagari, vestraque patientia nimium licenter abuti velle videremur. Quod Sallustius olim de Carthagine pronunciavit, idem hic nobis dicendum est, consultius videri, de talibus hic filere, quàm pauca dicere, quorum tanta præsertim multitudo est, ut ipsam optionem reddat difficillimam. Nec præterea expectatis
forſan

forſan à nobis, opinor, Auditores, nec exigitis, ut de ſollicita & præclara regii hujus & egregii Adoleſcentis, Principis juventutis, & unici paternarum ditionum longe lateque patentium cum corona Boruſſiaca futuri quondam hæredis educatione diligenter & operoſè loquamur. Quid enim parvis quibusdam & minutis proluſiis ac tyrociniis multa licet jam præclara minantibus enarrandis nos accingamus, cum tanta, tamque ſtupenda in ſacris pariter civilibusque negotiis non minus belli quam pacis opera pro tenuitate noſtra, & virium imbecillitate concelebranda ſuperſint? Hoc tantum dicam, facile unumquemque veſtrùm, Auditores, ſibi perſuadere poſſe, curam hujus Principis & institutionem non vulgarem, plebejam, & trivialem, ſed proſus regiam, tantis natalibus dignam, & omnibus educationis heroicæ numeris abſolutam fuiſſe. Cui accedebat divina proſectò cæleſtisque indoles jam ab iſtis incunabulis emicans, & nihil niſi nobile quiddam, altum, & generoſum, nihil niſi paternum avitumque ſpirans, florentisque ingenii gemmas ac paulatim matureſcentis innumerabilia documenta protrudens. Præter ſollicitam à viris ſapientiſſimis dexterrimisque ejus ætati teneræ præpoſitis proſectam curam & institutionem, tam in ſacris politicisque ſcientiis, quam in bellicis & equeſtribus exercitiis, tanto Principi & maximorum Heroum ſanguini convenientibus, præſtitam atque continuatam, ab immortalis & benigniſſimo Numine ad exemplum Salomonis habitum quendam infulum, & cœlitus inſpiratam acceperat ſapientiam, tantamque dijudicandi vim atque facultatem, ut non modo arduas quasque & difficillimas ſæpe quæſtiones, earumque interiores ſinus, ut ita loquar, & latibula in vaſtiſſimis ſacrarum pariter & civilium ſcientiarum latifundiis penetrare poſſet, ſed inprimis etiam celeriter arriperet, imo ſua ſponte, & iſtius naturæ ductu perſentiſceret, quæ præcipuæ imperandi artes, quæ regni non minus paterni, & ſui quondam futuri, quam cæterorum omnium, quæ monarchiarum, quæ Rerum eſſent publicarum arcana, qua dexteritate ſubditi in officio continendi tuendique, quo ſtudio & vigilantia etiam maximi exercitus in gyrum rationis & diſciplinæ redigendi forent. Hæc, inquam, ſimiliaque ad exemplum ſapientiſſimi & divinitus illuſtrati Salomonis iſtius herouæ naturæ vi ex efficacia, præter

indefessam & tanto Heroum sanguini congruentem institutionem, hauserat, imbiberat, ac paulatim in succum, ut ajunt, sanguinemque converterat. Ac sane recordamur, nos protenitate nostra aliquando jam alibi ostendisse, in his potissimum rebus ac negotiis regnandi artem respicientibus, præter mirificam & singularem vanitatis omnium rerum in hac terra notitiam atque confessionem, huic quoque Serenissimo quondam Regi nostro non insuetam, & paulo ante mortem, ut deinceps audituri sumus, insigniter præstitam, illum adeo decantatum Salomoneæ sapientiæ apicem constituisse, non autem in umbraticis & nihil profuturis quæstionibus, non in operosis nugis ineptiisque, circumscribendo potius hominum generi quam emendando excogitatis, ut nugivenduli Rabbini, & sectatores Rabbiorum superstitioni homines fabulantur. Cæterum post jacta rite omnium heroicarum artium atque disciplinarum fundamenta nihil prius antiquiusque in votis habuit Princeps noster Serenissimus, & unicus tantarum regionum & provinciarum hæres, quam ut in solem ipsum pulveremque, sicut Romani veteres loquebantur scilicet & faciebant, prodiret, quam ut Martis præcipue arenam, Potentissimo atque sapientissimo Parente ejus etiamnum vivente, virtutis suæ palæstram haberet, quàm ut usu denique ipso experientiaque, certissima illa & præsentissima omnium maximarum rerum magistra, non regulis tantum umbraticis, aut nuda præceptorum sibi inculcatorum farragine, belli pacisque opera addisceret. Sciebat sensum oculorum longe acerrimum esse, & unico interdum intuitu plura cognosci atque penetrari, quam centum descriptionum omnibus etiam numeris ad morem Geometricum absolutissimarum ambagibus à quoquam mortalium obtineri posset. Flagrabat initio hujus seculi bellum longe maximum atque acerrimum propter Hispanicæ monarchiæ & subjectarum ei provinciarum possessionem, propriè quidem inter duas illustrissimas potentissimasque domos, Austriacam atque Borboniam, excitatum, mox tamen omnes vicinas quoquoeversum gentes, Europææ stateræ inæqualitatem publicæ securitati noxiam & fraudi futuram indignantibus oculis videntes, simul involvens. Non solis enim illud Catalanæ, aut etiam Hispaniæ limitibus inclusum, non confragosis & cælo proximis montium Pyræneorum

rum jugis hoc incendium septum circumscriptumque latebat, sed scintillas suas, aut potius ferales flammam in maximas quasque & florentissimas regiones huic quondam regno parentes sparserat atque disseminaverat. Quin plurimas etiam remotiores Europæ nostræ terras hujus ingentis ac luctuosæ tempestatis procella concusserat. Ipsam præterea Germaniam omnibus per totum terrarum orbem gentibus ac nationibus ob tantam principum suorum amplitudinem, gloriam, & dignitatem jure meritoque venerabilem, Rhenum præsertim Danubiumque, duo maxima ac præcipua late parentis regionis nostræ flumina, hujus mali contagio non adflaverat tantum, sed penitus corripuerat infeceratque. Inprimis quoque inter ipsa furoris primordia statim aërias illas nubiferasque Alpes conscenderat, seque per universam Italiam, per Mediolanensem, ac Mantuanam ditionem, per Sabaudiam, Pedemontanum tractum, & adjacentes quasque regiones ingenti cum apparatu longe lateque diffuderat; per Apennini denique cautes illas, & interioris Italiæ fauces se in Calabriam Apuliamque, atque Campaniam, id est, in triplicem istum ac verum totius Europæ nostræ Paradisum insinuaverat; nec hisce terminis contenta pestis fretum ipsum transiluerat, Siciliamque, quin imo remotissimam orbis partem, nostros quoque furores luituram Americam, penetraverat. Ante omnia tamen Belgii totius terrarum orbis ocelli viscera ita hæc lues ab initio protinus pervaserat atque infederat, ut alibi tantummodo hoc bellum peregrinari, aut velut ad tempus quoddam, triste quidem illud atque luctuosum, sed breve tamen, commorari, hic vero penitus habitare, hic tanquam in propriis sedibus suis omnia pervertere, summa imis miscere, denique æternum grassari & dominari videretur. Ad hoc tam atrox incendium restinguendum convolaverant omnes terra marique gentes, omnium nationum duces & exercitus. Tanta erat FRIDERICI illius sapientis, primi in Borussia Regis, auctoritas, tanta virium amplitudo, ut propter ditionum suarum situm, causasque alias quàm plurimas, jacta semel tam horrendorum & jam diu formidatorum motuum alea, cruenti ejus belli expers esse non posset. Accebat Brandenburgicæ fortitudinis gloria, quæ jam sub FRIDERICO WILHELMO maximi Regis nostri, nuper defun-

ti, Avo, heroe prorsus incomparabili, altero illo sui seculi
 & Romulo pariter & Numa, ad summum fastigium perve-
 nisse, & cælum ipsum nominis sui fama conscendisse videba-
 tur. Non parvi itaque ponderis & momenti rem futuram
 esse videbant tot studentes Austriacæ genti principes, si Po-
 tentissimum quoque Borussix Regem non modo in partes suas
 pertraherent, sed inter præcipuos etiam & omnium primos
 haberent. Diuturno admodum tredecim annorum tempore,
 & summa cum pertinacia atque fervore hoc bellum fuit ge-
 stum, adauctum, continuatum, in Belgio præsertim Austria-
 co, illa perpetua & cruentissima per continuos fere trium
 pluriumque seculorum decursus Mavortis palæstra. Ingens
 hic theatrum laudis gloriæque simul, & omnis scientiæ mili-
 taris erectum videbat tunc alacerrimus juventutis Princeps,
 Rex noster quondam Clementissimus, FRIDERICUS WIL-
 HELMUS, maximis rebus gestis pace belloque perpetratis
 nunc immortalitatem adeptus, cujus talia erant fundamenta
 ab hoc famæ secundioris & perennis gloriæ Candidato ponen-
 da. Vix prætextâ positâ virilem sibi togam adsciverat, vix
 annum ætatis decimum octavum egerat, cum eò se conferre
 cuperet, ubi tantarum rerum momenta sub maximis quibus-
 que ducibus, non in otio & umbra, sed in ipso quasi sole &
 pulvere perspicere, considerare, imbibere posset. Et quan-
 quam omnis cura cari parentis, Serenissimi mitissimique Re-
 gis FRIDERICI, in hoc Ascanio, unico & dilectissimo hære-
 de staret, non potuit tamen ardentissimis votis tantæ tamque
 heroicæ indolis in hac sua prole jam dudum semet exserentis
 refragari. Quapropter anno præsentis seculi sexto animosus
 hic Adolescens regius, magnis passibus ad gentilitiæ fortitu-
 dinis gloriam jam grassatus, inter millena illustrissimorum
 Parentum vota & suspiria, inter innumerabiles subditorum
 preces, inter infinitos ducum militumque plausus & acclama-
 tiones, cum regio & magnificentissimo comitatu dimittitur.
 Fatendum est, Auditores, omnibus, aut iis etiam, qui igno-
 rant, cognoscendum, universo belli per tot annos ferventis
 tempore præter prælium Hochstadianum, cujus incredibili
 gloria & felicitate sub duobus potissimum belli fulminibus, &
 novis temporum suorum Scipionibus, Eugenio Malborugio-
 que, universæ Germaniæ nostræ tristes & dirissimæ servitutis
 vincula

vincula detracta sunt, infractis, dissipatis, & obtritis Gallorum simul & Bavarorum exercitibus: præter Taurinensis urbis extrema jam meditantis, & ad summas plane angustias redactæ liberationem, qua toti Italiæ repente nova lux oborta fuit, omnium rerum caligine longe lateque discussâ: præter Risselii munitissimæ firmissimæque Flandrorum urbis expugnationem, qua in ipsa Galliæ viscera, in ipsos interiores tam vasti simulque potentis imperii sinus penè nudatos introitus fuerat apertus & via reſerata: præter hæc tria ob incredibilia rerum momenta, & stupendos plane effectus atque sequelas præ cæteris maxime notatu digna, & omnium posteriorum memoriam atque commemorationem promerentia, quibus singulis etiam Borussicæ potentiaæ gloria, & Brandenburgicorum ducum militumque fortitudo penitus immixta atque conjuncta fuit: præter hæc, hæc, inquam, tria memorabilia tam diuturni belli momenta, fatendum est, annum quoque hujus seculi sextum pariter & nonum, prædicta tempeſtate penes Belgas debacchante transactum, non minus in omnium gentium annalibus & fastis æternam promereri notam; quo utroque ipſo Serenissimus quondam REX noster, tum Princeps juventutis, & coronæ Borussicæ atque Electoratus Brandenburgici futurus Hæres, in amplissimo Belgici Martis theatro se præsentem stitit. Nam ut de priore prius separatim nonnulla proferamus, quid prælio illo Brabantino apud ignobilem alioquin pagum Rameliam commisso per universum terrarum orbem celebratius, notius, magisque decantatum? quid opere isto alexæ periculosaæ plenissimo, & tanta tamque divina dexteritate ab omnibus ducibus militibusque confecto ponderosius, & momenti fuit majoris? Hac pugna pugnata, hoc prælio tanta cum virtute & superiorum benignitate commisso, hujus, inquam, stupendi certaminis eventu non inferior modo Rhenus noster ab omni hostilium armorum strepitu, à diuturno monstrosaæ illius hydræ, toties propter ericeta Germaniæ vel Belgarum paludes intumescens & renataæ, metu, sanie, furore, spiritu liberatus fuit; non Brabantia modo cum omnibus urbibus oppidisque, sed totum Belgium Austriacum, locis quibusdam munitissimis adhuc exceptis, uno velut ictu in Principum fœderatorum potestatem recidit. O incredibilem, o immensam felicitatem! o

ducum præstantiam! o militum fidem! o Supremi Numinis singularem clementiam & favorem! o denique lucem illius diei maximam, & priorum temporum nubes tenebrasque radiis suis penitus discutientem! O te quoque Rameliam hac incomparabilis cæloque proximæ Gentis Austriacæ, & omnium fœderatorum felicitate famam prorsus immortalem & sempiternos honores lucrata! Tu cum esses locus antea ignobilis, & non modo peregrinis, longo terrarum intervallo à te distitis, sed ipsis etiam fortasse Belgis quibusdam contiguis cæterisque vicinis incognitus, invisus, inauditus, nunc demum post gloriosum tanti tamque stupendi certaminis eventum, deterfa nominis tui obscuritate, omnibus etiam remotissimis gentibus atque rudissimis innotuisti, omnium ore linguisque celebraris, omnium denique Annalium, omnium monumentorum frequentia, sanctitate, fide æternaris. Tibi idem plane honos contigit, qui quondam Cannis, ignobili prius & obscurissimo Apulorum vico, sed clade Romanorum emergenti; idem, qui contemtissimis & remotissimis in extrema Perside vel Parthia Carris, vecordis Romanorum Ducis Crassi sanguine, totiusque simul exercitus internecina strage postea nobilitatis; qui Varnæ denique, tenuissimo Bulgarorum oppido, sed luctuosa nimis & miserrima Christianorum calamitate in omne tempus deinceps celebrato. Hoc tantum interest, quod eorum locorum insuavis, non minus quam Alliensis diei, sit memoria omnibus videlicet nationibus vel paulo magis eruditis, vel pro causa meliore stantibus: tui verò recordatio mentes quidem Gallorum sibi solis semper applaudentium urat fodicetque, cæterorum vero omnium, aut certe plurimorum orbis Christiani populorum cogitationes & memoriam exhilaret, demulceat, & incredibili lætitia atque voluptate perfundat. Videtis, Auditores honoratissimi, & vobiscum sine me monitore facile animadvertitis, quam illustrem, quam amplam, quam auspiciatam Regius noster Adolescens in bellico isto pulvere scientiæ militaris, & omnis fortitudinis non modo jam addiscendæ, sed etiam præstandæ simul exserendæque palæstram habuerit, quantam proficiendi copiam, quam admirandum & præsentis & futuræ suæ magnitudinis atque virtutis incitamentum, calcar, theatrum. Maximis enim rebus
illius

illius temporis non modo interfuit, sed quibusdam etiam, quantum vel ætatis ratio, vel tanti Principis salus cum tot subditorum salute simul votisque conjuncta pateretur, prope præfuit. Quamquam enim prælio jam commisso demum advenit, se præfente tamen Monenam, munitissimum oppidum, expugnari, & cætera pleraque hujus expeditionis ornamenta obtineri vidit. Sibi pariter cæterisque de tam immensis victoriæ fructibus enixe gratulatus est. Non legit talia, sed vidit; non audivit fandoque percepit, sed oculis, certissimis in bello ducibus & magistris, hausit, imbibit, consideravit. Neque satiatus sane fuit juvenilis erectissimæ indolis ardor. Tantam enim plura cognoscendi & peragendi cupiditatem ab eo tempore concepit animo, tantus fervor perpetuis quasi stimulis ejus mentem fodicavit, ut non quiesceret, donec iterum, vix artissimo triennii spatio interjecto, ad eandem Martis arenam, ad priorem omnis duritiei, Spartanæ nobilitatis, & disciplinæ militaris cotem properaret; quamvis in unius ejus anima atque salute tunc præcipue illustrissimi Parentis lætitia, nec non publica omnium subditorum & provinciarum spes & vota sita atque collocata essent. Annus erat hujus seculi nonus, quo non tantum munitissimæ urbes in Belgio, Montes Hannoniæ, Gilanium, & quam primo loco jure nominare debuissim, Tornacum, heroica plane fortitudine cum aliorum, tum præsertim Brandenburgicorum militum expugnata fuerunt, sed quo etiam memorabile illud & plane horrendum prælium ad vicum Malplacensem, cum terribili virium utriusque partis jactura naufragioque, quamquam simul cum nostratium victoria commissum fuit. Tam enim horribilis illic strages erat edita, tam atrox utrinque vulnus acceptum, tanto tamque copioso cruore decolorati agri apparebant, ut duces fœderati, quamvis ad ultimum victores essent, locumque, quem pugnantibus ceperant, tuerentur, cedentibus tandem defatigatis hostilium turmarum & cohortium globis, consultius tamen crediderint subsistere, nec instare terga vertentibus. Septem fœderatarum Belgii civitatum querelas de militibus suis ultra modum in discrimen adductis etiam diu postea sopiri non potuisse, cæteris quoque permultis hanc aleam displicuisse, pervulgatum erat. Quin imo commune tum inter omnes pro-

verbum fuisse dicitur, crebras ejusmodi victorias minime vovendas cupiendasque esse, sed potius ob tam incredibilem sanguinis impensam, hominum equorumque jacturam, & detrimenta non facile, nec bona statim fide sarcienda, serio deprecandas & abominandas videri. Ipse certe hostilium copiarum Dux Villarsius non parum sibi gratulari visus est, quod pertinaciâ suâ, post immisericordes illos furores Luxemburgianos audacissimâ, victores hostes victis Gallis non admodum dissimiles reddidisset, simulque potentissimo, cui militabat, Regi pateret, se Duce jam milites ejus stare, vel pedetentim retrocedere, non semper, ut sæpe jam contigerat, fugere, vel avolare consuêsse, eique, si fœderatis adsint Scipiones, suum etiam non defuturum deinceps Hannibalem. Non oculatus modo tum fortitudinis militum suorum testis fuit Princeps noster Serenissimus, sed etiam quodammodo omnium in hac expeditione operum censor & præfens exactor. Nec semel nos accepisse meminimus, hunc Regium hæredem propter improbum tantis discriminibus semet ingerendi & exponendi fervorem tunc crebrius admonendum, eique dignitatis & personæ, vel hætenus impostæ, vel Superiorum providentiâ deinceps imponendæ, quin etiam sanctissimi Senis, Serenissimi nimirum Parentis, ad tenuissimam rumusculorum auram sine dubio propter unici Filii, tam cari capitis, salutem expavescentis memoriam refricandam fuisse. Non videlicet ignorabat altissimæ & plane heroicæ mentis Juvenis, intrepidæ virtuti & fortitudini bellicæ vel propter solam famam gloriamque etiam inservendum esse. At nunc simul facile animadvertibat, tantos sumptus, tantos Brandenburgicæ gentis labores, tanta virium pariter atque virorum impendia, communi causæ & utilitati alacriter sapiusque consecrata, non contemnendo tandem, sicut par erat, hostimento compensanda esse. Nec defuit justissimæ expectationi eventus sane debitus, & cum summa æquitate conjunctus. Ea enim ipsa opera, flagrante bello communi tot populorum securitati, atque adeo universæ Germaniæ nostræ, ejusque libertati & rationibus hic alibique tunc præstita, peperit Serenissimæ huic Domui cum circumjacentibus quibusdam oppidis, Kesselio, Stralena, Crickenbecio, Wachtendoncia, cunctisque fundis & tractibus vicinis,

nis, ipsius Gelriæ, urbis munitissimæ, & toti illi regioni nomen imponentis possessionem æquissimam. Hoc auctoramentum tandem Rex hic fortunatissimus, FRIDERICUS WILHELMUS, in pacificatione Ultrajectina & Rastadiensi, conspirantibus omnium votis atque suffragiis, lucratus est, & amplissimæ hæreditati suæ, velut justissimam laborum sumptuumque mercedem, annexuit. Enimvero sciendum est, Auditores, paulo ante sapientissimum gloriosæ admodum & secundæ prorsus famæ Principem, FRIDERICUM, Regis nostri & Herois nuper defuncti Parentem, die nimirum vigesimo quinto Februarii anni post Christum natum millesimi septingentesimi decimi tertii, non sine gravissimis omnium subditorum suspiriis & mœrore, cœtibus humanis ereptum, & Cælestium choris aggregatum fuisse, eodemque temporis articulo FRIDERICUM WILHELMUM, unicum tanti Regis & Electoris hæredem, regni & cæterarum regionum gubernacula capeffivisse. Tum vero magis magisque semet exseruit indoles illa Martialis. Tum ille fervor instar flammæ cujusdam obvias quasque silvas corripientis erupit, nec prius destitit, quam ipsa morte velut objecto flumine sisteretur. Tum ille vehemens omnem disciplinam militarem notitiamque ad summum plane apicem fastigiumque, fortassis ab orbe condito ad nostra usque tempora hæctenus non visum, perducendi ardor & desiderium mirifica cepit incrementa. Et cum in aliis ætatis ipsius ingravescentis frigus ac lentitudo vividum alacritatis calorem paulatim restinguat, multa que velut superflua recidat, hic de die in diem plane contrarium vidit, vidit autem? imo stupuit & miratus est orbis universus. Neque enim solius Europæ nostræ finibus se continuit, aut circumscribi potuit multifida tantæ diligentæ, selectio- nis, apparatus, magnificentiæ Fama. Ipsas Asiaticas gentes in stuporem dedit, Africanarum aures arrexit, Americanas admiratione & formidine percussit. Ultimos penetravit Seras & Indos, ultimos Æthiopas sub utriusque nimium propinqui Solis curru positos, aut potius circumvagantes. Occasionem deinceps uberio- rem, Auditores, nec levem curis his intendendis ansam circa initium ejus tam memorabilis imperii præbere videbatur Carolus duodecimus, Suecorum Gothorumque Rex celebratissimus, sed ob immensam vin-

dictæ cupiditatem, pravo & perversissimo heroicæ cujusdam virtutis titulo ab adulatoribus velatam, præsertim tamen ob incredibilem & inauditam pertinaciam sibi tandem ipsi perniciem, subditis luctum, laude verò dignissimis Successoribus assiduum tot calamitates sarcindi laborem contracturus; interim tamen ob vitæ rigorem, tum etiam mirifica & stupenda fata omnium posterorum linguis & memoriæ inhæsurus. Redierat ille proximo anno post diuturnam integri quinquennii & longiorem etiam absentiam ex Turcia, ubi post fatalem illam cladem Pultavensem, qua tantopere ferociens temeritas vapulavit, voluntario secessu per tantum temporis spatium delituerat, & mirifica quotidie consilia cudens, animoque suo volvens, non tamen votorum suorum compos fieri potuerat. Ergo morosæ Fortunæ tandem non sine consueto tamen impetu pertæsus, & perfidum modo blandientis, modo iterum post breve lenocinium reluctantis hujus meretriciæ ludum execratus, per Hungariam Germaniamque pene universam, mirificis ambagibus, simul & incredibili celeritate, in Teutonicas provincias, ac præ reliquis in Pomeraniam se receperat. Nihil nisi cædem sanguinemque, nihil nisi vindictam & ultionem exulceratus ejus animus spirabat, ipsum quoque, si Superos flectere nequiret, Acheronta moturus, hoc est, ab ipsa Thule deinceps & Taprobane, ab ipsis piratis, si rebus deploratis ita consultum videretur, auxilia arcessiturus. Omnes illi terribiles irarum fluctus in Petrum Alexiadem, potentissimum Moscoviæ Imperatorem, maxime tamen in illustrissimos Principes & consanguineos, Carolinis conatibus odiisque magis opportunos & expositos, Fridericum quartum Daniæ Regem, & Augustum Saxonæ Electorem, Poloniæ tunc solio iterum feliciter insidentem, se effundere conabantur; & effudissent sanè, nisi Regi, si temere fati oblucri dedidicisset, maximo, vires viæque defuissent, nisi attritæ penitus civitates, exinanitum ærarium, debilitatæ copiæ, totumque Sueciæ regnum ad summas tunc angustias, & pugnacium virorum penuriam atque raritatem redactum fuisset. Ingentia tamen moliebatur, & perniciosos consiliorum æstus animo suo coquebat. Saxones præsertim, Poloni, & omnes prope modum cum Danis vicini, velut deinceps Angli quoque cum propioribus Hanoveranis, nihil læti ab hoc iratissimo Prin-

Principe sibi ominari poterant; & metuendum videbatur, ne regionum contiguarum deliciis & ubertate illectus hostis illic maciem suam, tot iniquioris fortunæ casibus jam per integri fere quadriennii difficultates contractam, denuo saginare cuperet. Omnes Suecicam illam, seu citeriorem Pomeraniam non aliter, quam ingens quoddam & noxium sibi armamentarium considerabant, ex quo Carolini militis furor, Rege etiamnum absente, dirissima quæque adversariis suis minabatur, nec Altenavianis bustis & cineribus fortasse mitiora. Dudum hoc præviderant fœderati Principes, ideoque huic bolo inhiaverant, ut Suecis aliquando respirantibus, & quasi ab inferis iterum reversuris introitus in Germaniam præcluderetur, cujus illi dulcedine penitus inescati videbantur, sed magna deinceps ex parte sibi carendum esse vehementer & non sine præfugio dolebant. His consiliis istorum non acquiescendum esse rebatur Rex noster Serenissimus FRIDERICUS WILHELMUS, qui non modo antiquissima in universæ Pomeraniæ possessionem jura ostendere poterat, sed ejus etiam situm talem esse sciebat, ut sua maxime interesset, ne tam feralis incendii flamma in vicinam regionem deferretur, proprias alioquin terras facile uno eodemque turbine, sicut fieri solet, correptura; cujus rei non leve specimen Brandenburgicæ cohortes sub fortissimo belli Duce Schlippenbachio apud castrum Locnizium, vivente adhuc Patre, à Moscovitis jam expertæ fuerant. Sux itaque securitati, quin imo publicæ, atque adeo Suecorum ipsorum utilitati consulere cupiens, imminentem tempestatem, singulari transactione cum Principibus fœderatis institutâ, ab ea regione avertit, hac tamen lege atque omine, ut præter Demminum, Anclamum, & Volgastiam, etiam præcipuam & primariam citerioris Pomeraniæ urbem Stetinum cum tractu circumjacente velut sequester obtineret, numeratâ prius fœderatis Principibus ingentis pecuniæ summâ, ne sibi quicquam præreptum esse dolerent, quod ex jure belli sibi debitum, rebusque suis opinabantur opportunum; neve ex ipsius belli ore atque faucibus subtractam fuisse quererentur, quod jamjam devorandum videbatur, omni videlicet auxiliorum spe Suecis per diuturnam Regis absentiam amputatâ penitus atque præcisâ. Factum hoc fuit hujus seculi decimo tertio, primo videlicet tam fe-

licis & auspici regiminis anno. Quis vero non crederet, Carolum Sueciæ Regem sequente tandem reversum de prudentia, æquitate, quin etiam favore curaque maximi Regis nostri sibi gratulaturum fuisse? per quem unicum stetit constabat, ne totius citerioris Pomeraniæ jacturam fecisset; cui uni acceptum erat ferendum, quod imminentis luctuosæ tempestatis vehementia ab omnibus illius provinciæ urbibus & agris hæctenus averfa fuisset; quique restitutionem pignoris tanta fide & religione conservati neququam abnegaret, modo sibi de novis motibus in vicinia non excitandis caveretur, quos Pomeraniæ Brandenburgicæ, quos Marchiæ universæ, quos toti regno suo Borussia pestiferos & perniciosos fore non tantum suspicabatur, sed sine controversia prævidebat. Accedebat restituendæ pecuniæ necessitas, quam omnes leges, omnia jura divina pariter humanaque inculcabant. Sed tantum aberat, ut his postulationibus annueret irritatus confidensque Suecorum Rex Carolus duodecimus, ut potius heroicum illum & Martialem FRIDERICI WILHELMI animum offenderet, non obscure hostilia quæque meditari incipiens; quasi non satis hostium haberet, nisi & iis hunc animosum leonem adjecisset, nobilem quidem & generosum, omniaque pacificè componere gestientem, sed simul fortem, opulentum, intrepidum, & ad quemvis aciei fulgorem minime connivere solitum. Mirabantur tunc omnes, non consultius Suecum existimasse, sibi patentem Regis nostri amicitiam ambabus, quod ajunt, manibus amplecti, armisque nunc aliò converfis, ut dolori suo & vindictæ serviret, illic irarum habenas effundere. Nisi fortasse, quod penè suspicor, rebus omnibus jam conclamatis, ex ipsa hostium multitudine sibi gloriam aliquam & admirationem, qua erat pertinacissimæ mentis ambitione, quæsierit. Talibus enim animis vanæ laudis cupiditas ultima sæpe tunica est, ut vetus ajebat Philosophus, quam non nisi morientes simul cum vita deponunt. At quanto satius fuisset, si propriis commodis emolumentisque, veris illis, non imaginariis, ante oculos positis, si ratione salutis & prosperitatis subditorum habitâ, quocunque modo tam magni, tamque vicini, & hæctenus nullo partium studio abducti Regis animum sibi conciliare & devincire studuisset! si prioris vehementiæ oblitus non semper

per cruentas & sanguine delibutas victorias, non ingentium regnorum donationes sibi finxisset, nusquam ferè nisi in pictorum pergulis quærendas, aut certe non aliter, quàm totis regionibus in fumum cineresque, quod Dii prohibeant, conversis, instituendas! si denique curam & sollicitudinem Serenissimi Regis nostri sibi imitandam duxisset, ita utilitati gloriæque velificantem, ut non minor æquitatis justitiæque, & conservationis subditorum cum regia salute conjunctæ respectus haberetur! Is sane nihil hic nisi summa necessitate inductus fecerat, cum suam rem agi crederet, ubi proximus paries ardebat. Is ex sanæ rationis & omnis civilis prudentiæ præscripto dudum metuerat, ne ex contiguis jam correpti Ucalegontis ædibus ferales flammæ in sua tecta difflarentur. Is denique merito sibi curandum crediderat, quales in posterum vicinos esset habiturus, & ne ea, quæ suis Majoribus olim debita, nec ita penitus tamen alienata fuerant, ut nunquam postliminio reduci possent, in quorumvis exterorum vi & astu jam procantium manus dilaberentur, unde non magis quam virginum Sabinarum deinceps speranda foret redemptio. Quid itaque, Auditores, quid dicam? Belligerandum erat cum rugiente illo leone. Belligerandum erat cum Sueciæ Rege Carolo, ad omnem æquitatem obturatas aures gerente. Præter Usedomiam, & Vismariam, plurimæque castella, vel arces partim vi & armis, partim comœtuum difficultate velut in orbem gyrumque disciplinæ serius ociosve redigendas, obsidenda Penemunda, Rugia insula expugnanda, & cum cæteris Herculi furibundo sua clava, sua, inquam, Stralsundia extorquenda erat. Rugia & Stralsundia vi armorum, atque tormentorum multitudine ad deditiorem adigendæ. Præsens erat cum Illustri Anhaltino Principe, tot rebus gestis immortale nomen jam antea sæpiusque lucrato, Serenissimus Rex noster FRIDERICUS WILHELMUS, Heros incomparabilis, militibusque suis & Ducibus animos propria constantia & fortitudine addebat. Sed tanto majoris erat res operæ atque difficultatis, quanto pertinaciores præfidiariorum militum mentes Suecici Regis inflexibilis rigor & iracundia fecerat. Tandem tamen & insula & urbs expugnata deditaque fuit, Suecorum Rege ob præsentissimum mortis periculum & ultimam desperationem, inter mille maris,

hostilium prædonum, & hibernæ tempestatum discrimina, sibi fugam quærere, & relictâ Germaniâ, quò oculos suos instar victi leonis sæpe cum gemitu retorquebat, in Scaniæ litora discedere coacto. Hoc habebat. Expugnata, inquam, tandem præter Rugiam Stralsundia fuit, illa urbs munitissima, quam olim ferocissimus Dux Fridlandiæ Vallensteinius sibi suisque cessuram esse frustra gloriatus fuerat, etiamsi ipsi cælo catenis adligata fuisset; quam postea Fridericus Wilhelmus HEROIS nostri Avus, ludum paulo magis serium post irritationem ludere consuetus, intra paucissimos dies ac pene horas incredibili machinarum & igniferorum globorum efficacia adeo ad incitas redegerat, ut supplex in victoriosas ejus manus se dedere cogeretur; quamque Rex noster longe potentissimus, Avi tam admirabilis Nepos, citius sine dubio sub jugum suum cervicem flectere docuisset, nisi tum, quatenus fieri posset, mitius sibi lentiusque cum omnibus Pomeranis agendum, & temporum circumstantiis consulendum esse statuisset. Nec enim spem omnem pacis cum Sueco, quocum hæcenus ei res convenerat, sarcindæ abjiciebat; nec tot sumptus ita frustra in hoc bellum conferendos esse putabat, ut non eos aliquâ saltem citerioris Pomeraniæ jam olim Majoribus suis debitæ, & publicæ quondam utilitati semel iterumque donatæ portione pensaret & consolaretur. Videtis hic prudentiam Regis nostri, Auditores honoratissimi, singularem, videtis fortitudinem, constantiam, moderationem. Quid porro primum, quid deinceps potissimum mirari debeamus, dictu sane perdifficile est. Ita sibi vincendum esse putabat, ut tamen nec immortales militum suorum animas vitamque ad exemplum Suecici Regis pro re vilissima nihilove haberet, ac quasi prodigeret. Quantum inter Virtutem & Furorem intervallum esset, quantum dissidium, pulchre intelligebat. Hoc quoque certum est, & ipso eventu comprobatum fuit, non exiguam inde potentiæ ejus accessionem esse factam. Sequenti enim tempore post triste fatum Caroli duodecimi, pace cum hodierna illustrissima Suecorum Regina Ulrica redintegratâ, præter Damum & Golnoviam, omnesque agros, oppida, & arces, inter Oderam Penamque sita, Stetinum sub aquilæ Borufficæ tutelam, & Sceptri Brandenburgici potestatem tandem optimis auspiciis, & pleno jure

reductum

redactum fuit. Ecce egregia iterum, nec pœnitenda illustrifimæ hujus serenissimæque Gentis sub tanto Capite incrementa; ecce præclara & singularia divinæ benignitatis atque benevolentiae pignora. Plura nunc memoratu sane dignissima de bellicis ejus operibus & gestis, & ante regimen & post clavum ejus susceptum perpetratis, in scenam producere possemus, nisi satietati consulendum, & angustiarum hujus temporis, quarum cancellis includimur, ratio nobis habenda esset. Præterea quoque post illud tempus, per infinitam divini Numinis clementiam atque bonitatem, perpetua & ferè continua pax plerasque orbis Christiani partes iterum exhilaravit: licet interdum atræ quædam gravesque nubeculæ hanc amœnissimam publicæ tranquillitatis serenitatem denuo infuscaverint, & armorum nondum bona fide cessantium fragores reduxerint; velut ante septennium contigisse meminimus, cum turbulenta Polonorum de Capite sibi constituendo digladianrium, & in propria sæpe viscera sævire solitorum rabies in ipsius Germaniæ nostræ finibus terribilem quidem & luctuosam, sed brevem tamen illam, nec valde diuturnam tempestatem, nubibus eò Gallici motus flabello ventilatis, indignissimè concitaret. Eo tempore cum Rex noster Serenissimus simul insignem in recipiendo illustrissimo Rege Stanislao humanitatem omnibus per orbem terrarum gentibus, sanctissima hospitii jura non ignorantibus, approbaret, eique, Gedanensibus jam relictis, in Regio suo Monte, velut arce tutissima, perfugium tutelamque præstaret, ex altera quoque parte, ne laboranti Germaniæ nostræ, hac procella nimis indigna subitaque percussæ, manum subtraheret, ad infringendos Gallicane insolentiae conatus partem selectissimi sui exercitus versus Rhenum superiorem, & inter illam quoque probatissimas & egregias Equitum dimacharum catervas, hæc Urbi nunc præsidii loco impositas, dimisit. Tunc vero, Auditores, manifesto rursus exemplo omnibus apparuit, quanta cura, quanto studio, quanta denique contentione, vigilantia, sollicitudine res militares, & earum administrationem pariter atque præstantiam prosequeretur, ut quem non tæduerit longissimum per Germaniam iter devorare, & tam numerosos exercitus ex variis locis gentibusque, ne ipsis quidem Russis, quod adhuc in patria nostra inauditum fuerat, exclusis, illic

congregatos lustrare, simulque operam injungere Ducibus, & præsentia sua confirmare, quanta cum fortitudine, tum prudentiâ suis, non sane tam fortuitis nec tumultuariis, sed selectissimis militibus agendum esset. Insperato tanti hospitis adventu lætatus Sabaudiacus Heros Eugenius, jam veteranus & ipsa ætate tot laureis quondam coronatâ venerabilis, Regi, ut tanto se majori, & rerum bellicarum callentissimo, gladium porrigebat, seque sub illo belligerare cupere, qua erat morum suavitate, nobilique mentis heroicæ temperie, hilariter demonstrabat; quo statim præstantissimo Duci restituto, recusatove, Rex Serenissimus non se jam imperandi, sed lustrandi causa venisse, incredibili cum humanitate & amplexu respondit. Interim hæ copiarum Regis auxiliares, amissis jam duobus Germaniæ propugnaculis Kehla & Philippiburgo, posteriores injurias defenderunt, calamitates propulsarunt; & in fine Rex ipse simul lætatus est, per illustrem potissimum Seckendorffium, pridem Cæsareum in Aula sua Legatum, postea ob sinistros expeditionis Hungariæ casus graviter conquerendi causas adeptum, Gallicam proterviam retardatam, & nisi pax subita prævenisset, prorsus in ordinem redactam fuisse. Locus hic, sicut videtis, Auditores, commodissimus esset, ut de inenarrabili disciplina militari, de exercitiorum præstantia, omnibus retro seculis inusitata, incognita, inaudita, futuris autem ad seram usque posteritatem fortassis etiam incredibili, de delectu militum stupendo, multitudine, & decore quædam differerem, nisi vehementer nobis metuendum esset, introitum orationis reperiri posse aliquem, exitum vero aut difficilem, aut plane nullum. Præterea non parum veremur, ne quibusdam extra oleas vagari, & de rebus ultra disciplinarum nostrarum limites constitutis temere balbutire videremur; cum prudentis sit, suo se pede metiri, & quid ferre queant humeri, quidve recusent, diligenter perspicere & in animum revocare; mihi etiam mea memet tenuitate libenter involventi nihil fortasse minus, quam temeraria quædam curiositas jure meritoque possit exprobrari. Scio longe melius cum humano genere actum iri, si quisque rerum suarum satagens tantum otii sibi non patiatur esse, ut curet aliena. Historicum tamen nunc agimus, & simul, si conceditis, Oratorem. Tantum itaque dico,
nihil

nihil simile universæ prorsus Antiquitati in mentem venisse, nil par alibi temporibus nostris contigisse. Idque tanto magis ab illo fuit elaboratum perfectumque, quod eo velut cardine peculiarem regiminis sui gloriam versari sibi persuaserat. Romanos quoque veteres artibus militaribus, disciplinæ, armorum cultui atque splendori, cæterisque rebus non paucis huc pertinentibus ingens pretium statuisse, eaque sedulitate, subjugatis paulatim ferocissimis nationibus, terrarum Dominos fuisse factos, extra omnem controversiæ & dubitationis aleam situm est. Eosdem ad seligendos milites animum non leviter applicuisse, quoties tempus ferret, & circumstantiæ paterentur, Marianæ cujusdam vel alterius necessitatis expertes, si non alia, certe nuda *legionum* & *exercituum* nomina ipsâ notatione satis & origine suâ nobis ostendere possent. Sed hæc omnia, qualiacunque fuerint, nihil nisi ludum jocumque censenda esse præ illis artificiis, illis pedum, manuum, omniumque fere corporis membrorum libramentis, illa peritia, dexteritate, disciplina, virtute, præ illis denique tot tantisque pedestrium vel equestrium pugnarum præceptis, quæ sub hoc nunquam defatigato Principe ad supremum apicem perducta fuerunt, facile nobis omnes adstipulabuntur. Hæc quidem, Auditores humanissimi, si in animum memoriamque revocabimus, non immerito nec illibenter idem exclamaturi fortasse sunt nonnulli, quod de Augusto Imperatore Vates ille Venusinus pronunciat, nil oriturum aliàs, nil ortum tale. Sed tempus esse videtur, ut ad cæteras tanti Principis virtutes dotesque animi plane singulares, & illis neutiquam minores, non eâ quidem, quâ decet, orationis dignitate & verborum flumine prædicandas, sed leviter tantum, & pro virium nostrarum imbecillitate delibandas, progrediamur. Nam si incredibilem justitiæ cultum, si legum utilissimarum multitudinem, pondus, præstantiam, si totius denique civilium negotiorum moderaminis indefessam curam atque vigilantiam nobis ob oculos ponamus, redivivum aliquem Justinianum, omine quodam & velut præfagio ab ipsa Justitia denominatum, aut alterum seculi sui Solonem imaginabimur, Superiorum munere temporibus nostris terrisque redonatum. Ut candidi & fideles testem eum habebant apertum, laudatorem præterea simplicem & generosum, ita fal-

laces & facinorosi cognitorem sagacissimum, correptorem rigidum, punitorem certissimum. Nulla re propius ad cælestium animarum Deique præstantiam accedi posse sibi persuadebat, quam animi nullis partium studiis addicti constantiâ. Hanc veram esse ingenii divini altitudinem, hoc masculinum & virile robur, hunc mentis suæ virtuti confisæ, & nihil turpe vel indecorum metuentis sive cupientis tenorem, hunc aheneum solidæ fortitudinis murum rebatur; quò pusillæ ferocissimorum hominum mentes, affectibus suis & cupiditatum furore velut onere terrestrium glebarum saburrave depressæ, adspirare nequirent vel eniti. Non magis ceris & fumosis imaginibus nobilitatem gloriamque conciliari certus erat, quam jugi virtutis justitiæque præ cæteris observantia, quarum contemptu æque sordescerent natales, ac impari matrimonio contaminarentur. Eam sententiam penitus animo suo imbiberat, tum demum divinæ & cælestis benevolentia uberrimos fructus non modo sperandos, sed etiam firmiter exspectandos esse, si ex Paterno symbolo suum cuique tribueretur, si accuratissima & religiosa juris administratione nullus personarum esset respectus, nulla commendationis, vel obtreccionis sinistra ratio haberetur, sed omnia potius accurata examinis trutina ponderarentur; si iudices non alienis oculis uterentur, sed propriis; si apud eos nec iræ locus esset, nec favori; si facta pariter dictaque ad rationis & æquitatis amussim potius, quam legum defuetarum tricas, aut peregrinæ cujusdam Sphingis ambages, sive ea Thebana, seu Romana diceretur, exigendi voluptas esset; si nec tenuiores opprimerentur, nec insidiæ struerentur locupletibus. Ad illud verò, quantum in ipso esset, obtinendum quot qualesque leges non fuerunt conditæ, iteratæ, amplificatæ! Quot sanctiones ad exhauriendam omnem sordidæ malignitatis & nequitia sentinam promulgatæ! quot constitutiones nihil nisi justitiam & æquitatem spirantes, quot singularia edicta è sanctissimo ejus pectoris penetrali profecta! quæ veterum oraculorum vicem habere possunt, aut etiam longe lateque illis præferenda sunt, cum nihil ambigui, nihil perplexi contortique contineant, sed mascula quadam & divina perspicuitate, pondere, gravitate virtutes omnes, & sedulam quorumvis officiorum curam injungant, improbitatem
vero,

vero, fraudes, scelerum turpitudinem, & vitia quævis non acerrimæ tantum censuræ, sed etiam pænæ & suppliciiis certissimis addicenda esse præcipiant. Nihil autem magis, quàm versipellium caussidicorum sumptuosas ambages, quàm infinitas dilationes elusionesque oderat atque detestabatur. Cane pejus & angue illos Polypos instar Protei sibi quamlibet figuram induentes, illos vultures forenses Harpyiarum ritu etiam sanissima quæque conspurcantes, illos, ut disertissimus Romanorum Orator Tullius adpellat, canes venaticos, quodvis lucrum è projectis & arrosis cadaveribus odorantes, execrabatur. Hos suo latratu, sua calumniandi & cavillandi libidine prius omnia permiscere credebat atque confundere, simul mutuis sibi conviciis aures verberare, deinde spe lucis & lucri decollante secare potius lites, quam extricare. Hos ad exenteranda partium marsupia, ad emungendos argento suo clientes non modo ditiores, sed etiam ad evolvendos bonis & copiolis suis pauperes, ad irrigandas & proluendas sæpius generoso Rhenano, vel leniori Mosellano aridas avidasque fauces flagitiosâ nimis subtilitate abuti, rixasque & lites non in menses annosque tantum, sed inextricabili stropharum & cavillorum labyrintho in integra sæpe lustra, imo plurimarum Olympiadum seriem atque decursum, fortassis & in secula quædam protrahere, indignabatur; ut quatenus bona non transmitterentur ad hæredes, actiones iis certè non deessent, ipsos quidem litigatores fumo, caussidicos tamen & eorum posteros opimioris prædæ nidore pascentes. Non modo justitiam sic administrari nullam animadvertibat, sed innumerabilia cumulari peccata, perjuria, fraudes, infidias, scelera; mutuam contra benevolentiam, canam candidamque fidem, pietatem, concordiam, virtutes illas seculo nostro, quo sæpe fœditas & nequitia quævis elegantia vocantur scilicet, pene derisas & impolitæ ruditatis nomine traductas, elidi sentiebat & penitus extirpari. Hoc fonte innumerabilium familiarum ruinas primum derivatas in totas deinceps urbes populosque promanasse sibi persuadebat, attritis bonis, dilaceratis, quæ cernendæ fuerant, hæreditatibus, consumpto tempore, & elapsis ditescendi, aut sua frugaliter recteque ordinandi vel mediis vel occasionibus. Hanc luem, hanc terribilissimam generis humani pestem, hoc præsentissimum alendis

diffidiis, disturbandis mutuae societatis vinculis, omnibus denique inter se permiscendis venenum esse non ignorabat. Recordor, Auditores, in nonnullis regionibus de viis earum compitisque fuisse dictum, nullum illic gramen provenisse, aut velut pestilenti fidere adflatum protinus exaruisse, quod altercantium & ad rabulas cursitantium vestigia, nec interdiu nec noctu cessantia, semet illud exferere, vel læto cacumine valescere prohiberent. At verè Rex Serenissimus opinabatur, continuatis hujusmodi litibus, & rixarum sine fine reciprocantium æterno squalore omnem civicæ felicitatis florem opprimi, & in ipsa velut herba conculcari. Justitiam maximam esse bene auspiciati regiminis, imo totius Christianæ religionis partem seriò & ex animo censebat. Hinc factum est, Auditores, ut ejus procurationem omnibus collegiis, omnibus judicibus, & cujuscunque causæ cognitoribus non tantum rigidè & severè, sed velut cum terribili quadam formulâ, hoc est, cum cælestis iræ denuntiatione, & divini tribunalis imagine ante oculos positâ injunxerit; idque non verbis tantum cito transituris & avolantibus, sed sanctionibus inter primordia regiminis in publicam lucem datis; additâ etiam cautione, se coram supremo Judice, cogitationes humanas & interiores sensus excussis omnibus latebrosi pectoris sinibus perlustrante, in ultimi judicii die purum insonstemque futurum, certe à clementissimo Deo impunitatem sibi promittere, si quid se incio à facinorosis causarum quaestitoribus judicibusque vel arbitris delictum atque commissum foret. Quis non moveatur, Auditores, talia legens intelligensque? quis non ad exactissimam justitiæ curam & venerationem, sepositis & in æternum relegatis omnibus partium studiis, excitetur? quis non se ipsum ad perlustranda purgandaque fallacis, cuniculosi, & inter olidas assentationis plebejæ simul & arrogantis, vel luxus, vel avaritiæ sordes sæpe nimis abstrusi pectoris cubilia his stimulis impelli, his facibus inflammari sentiat? quis non pietatem imis tanti talisque Regis visceribus insitam fuisse concedat? Mihi certe lacrimas præ veneratione inter legendum excussas, animumque ob cælestem Justitiæ majestatem talibus verbis quasi depictam, & visibili imagine ante oculos positam mirifice affectum & commotum fuisse fateri non erubesco; sive hanc muliebrem
aliquis

aliquis imbecillitatem, five internum potius sensum pulchra comprobantem, & prava detestantem vocare maluerit. Denique quid vagamur, Auditores, aut multa colligimus? Quis vestrum est, qui ignoret, quanta quamque incredibilis omnium rerum ad forum & judicia pertinentium emendatio ante triennium ferè ab hoc maximo sane Principe cogitata, suscepta, & in actum deducta sit? Erat enim in inveniendis sagax, in perficiendis strenuus, in obeundis constans atque infatigabilis; hoc est, non minus sententiæ propositique sui, quam juris & auctoritatis in omnibus semel ei se probantibus tenacissimus. Quod ab aliis præstari volebat, ipse nimirum duce natura prius præstiterat; studebatque, ut omnia maturè perpenderentur, perpensa sine multis ambagibus fierent & accelerarentur. Ad hanc regulam facta quævis, ad hanc amussim consilia & sermones exigi volebat. Perspicuis autem, nec lucem formidantibus cogitatis unumquemque probum & sapientem semper esse oportere, sibi persuaserat. Hoc qui præstare nequirent, insulsos, qui nollent, malevolos esse non vane statuebat. Nec facile de gradu se dejici sinebat, aut levis arundinis instar à quovis vento huc illucque impellebatur; sed velut excelsissima rupes affilientibus undis sine motu resistens, quasvis difficultates aspernabatur & superabat. Quid jam porro de insigni cultu religiosæ Pietatis ipso, de sacrarum ceremoniarum ad primævam & illibatam sinceritatem tendentium observantia, de abusuum hic illic, ut fit, irrepentium, aut aliorum nævorum censura & correctione multa proferamus? Quanto fervore & studio inculpatæ vitæ atque probitatis publicos mysteriorum divinorum interpretes postulabat, averfatus, opinor, illos, quos ad refellendos quosdam nostri temporis Correptores, ejusdem necessitatis assiduis clamoribus se venditantes, mallet sane tantum debitis modestiæ, sanctitatis, lætæque conscientiæ ad ipsos etiam adversarios bono cum Deo provocaturæ subsidiis uti, quàm simul armis, nescio quibus, certe præposteris, odiosis, Deoque minime placituris! Quanto rigore, Manlianis edictis omnibus salubriore, paucis etiam ante mortem hebdomadibus hanc insignem rerum sacrarum curam & sollicitudinem velut obfignavit! quanta severitate turgidam omnem vanitatem, sterilem declamandi lubidinem, ab ipso etiam profano Petronio deri-

fam, circulatoriam linguæ volubilitatem, & calamistrati sermonis cincinnos atque jactantiam removeri jussit! quanto magis affectatam frigidamque bilinguis Canusini gloriolam eruditis superfluum, rudibus incognitam, omnibus odiosam, à sacris concionibus faceffere & procul abesse voluit! Contra vero quàm omnibus ad salutem populi, quæ, ut in ipso veteri dicitur proverbio, suprema lex est, compositis perspicuam & concisam simplicitatem, modestiam, gravitatem, ordinem rerum facilem & naturalem, non longe quæsitis ambagibus intricatum præcepit, qualem scilicet in sinceris veterum sanctissimorum Christianæ Veritatis assertorum hominibus deprehendimus! quàm verba ipsa cum nativa, tum pura, nihil abjectæ humilitatis & sordium, nihil etiam tumoris fucique redolentia: quàm inprimis ferium sollicitumque corruptos seculi mores, & fluentia in luxuriam tempora emendandi studium de meliore nota, & peculiari sanctione demandavit! Hujus edicti mirificam sapientiam & utilitatem si quis in dubium vocat, negatve, nã, illum immani vel ignorantia & cæcitate, vel invidia fastuque laborare oportet, ne quid pejus dicam. Regum verò Principumque personis hanc quoque sollicitudinem præcipue convenire, non ipsi diutius in tanta Veritatis luce diffitebuntur Mitræ Romanæ cultores, mirum licet alioquin imperii sacerdotiique divortium contra omnium veterum tam religiosarum quam profanarum gentium mores & rationem imperite statuentes, & pro vero Christianismi nucleo nescio quæ cariosa terrestris cujusdam & verè fanaticæ potestatis omnes cæteros excludentis putamina nobis obrudentes. Nos omni Veritati libenter adstipulamur, ejusque imaginem velut pulcherrimam, & nulla cerussa fucisque indigentem admiramur, colimus, veneramur, & in te ipso quoque, Regum maxime omnibusque posteris admirande, FRIDERICE WILHELME, divini hujus muneris tam largiter tibi à summo Numine, plura nunc quotidie majoraque, ut speramus, in cælis revelaturo, quondam concessi prærogativam adoramus. Crederes ipsum Regem arcanis sacrarum pariter, civiliumque & elegantiorum literarum mysteriis non modò leviter operatum fuisse, sed unicè per omnem vitam huc animum appulisse, adeo rem ipsam acutangere, & nusquam à scopo delirare videtur. Sic ipse partim

dissolu-

diffolutam hominum lasciviam severis legibus compescere, & discinctorum mortalium nequitiam coercere conabatur; partim ab aliis sanctiori cuidam provinciae præpositis viris, gravibus illis & omni veneratione propter integritatem vitæ morisque dignissimis, igniculos pietatis & semina magis magisque instillari volebat. Habet, habuitque illustrissima hæc Regia & Electoralis Domus hic iterum singulare quiddam, & prorsus peculiare, ut omnes industriæ nervos sibi semper intendendos esse crediderit, quò illarum partium invicem dissidentium animos ad concordiam redigeret, quæ communi ardore & studio quidem Vaticani Præfulis arrogantiam, triplicis tiaræ suæ cultum pro præcipuo Christianæ religionis & obtinendæ salutis cardine venditantem, multasque res creatas adorandi summi Creatoris loco prætextuque venerari præcipientem meritò perosæ de instaurandis purioribus sacris, de revocandis inculpatis ac vere antiquis ritibus, non autem fictitiæ, non imaginariæ scenicæque vetustatis larvâ turgentibus, serias cogitationes susceperunt, consilia inierunt, & opitulante divini Numinis auxilio feliciter in actum deduxerunt: ceterùm ob leviores quasdam controversias, aut spinosas obscurasque quæstiones, & difficiles nodos, imbecillitati mortalium ad cælestia sæpe caligantium non satis investigatos, acquirendæ tamen æternæ animarum nostrarum salutis non penitus necessarios alibi magna sæpe jurgia, ætatis prætextatæ strepitus, tabernarias rixas, Tribunitios clamores, & altercationes ipsam tunicatam plebem non satis decentes agitarunt olim, agitantve, non sine piorum & simplicium hominum perturbatione, gemitu, mœrore. Utinam illi cogitarent, primum ferè in terris fuisse Antiochum Epiphaniem tam stolidum, qui crederet, homines ad suas de sacris opiniones cogi posse, eumque non immerito Athenæo ipso teste Epimanem, id est, insanum fuisse dictum, & mente captum. Hæc mutæ societatis incommoda, hæc maximorum sæpe emolumentorum impedimenta, hos, inquam, publicæ securitatis scopulos morasque cum alii partium nostrarum Proceres, civitates, & respublicæ sæpe remove conarentur, tum præ reliquis, præ reliquis, inquam, omnibus Rex maximus ad exemplum perpetuamque consuetudinem serenissimorum Majorum suorum funditus & cum ipsis quasi

fibris eradicare connisus est; dum non modo conviciorum, sed etiam suspicionis injurias invicem vitandas esse judicabat. A Joannis Sigismundi primi partium nostrarum sanctissimi vindicis temporibus hæc pietas huic Serenissimæ Genti quasi peculiaris & propria fuit. Hic iterum cæteris Rex ipse suo præibat exemplo, ne quod verbis suaderet, præceptis inculcasset, sanctionibus urgeret, idem rebus moribusque, vulgò certissimæ legis instar habentibus, pervertere rursus & proculcare videretur. Tanto autem laudabilior hæc cura & sollicitudo censenda est, quanto magis constat, & experimento non uno deprehensum fuit, alibi utramque partem per hæc odia sæpe nudum latus externis hostibus, & eorum insidiis præbuisse; quanto clarius æterno ipsius sanæ Rationis lumine, tum superadditis sacrosanctorum, quos merito veneramus, Scriptorum præceptis convincimur, nihil mutua pace sanctius, nihil hac religione prius, nihil Christianam mansuetudinem decentius, nihil Servatoris & discipulorum ejus mandatis præcipuis & inter omnia reliqua quasi familiam ducentibus convenientius, nihil denique ad ipsam, de qua invicem digladiantur, Veritatem eruendam & demonstrandam tempestivius, aptius, & magis necessarium vel verbis exprimi, vel cogitationibus fingi & formari posse. Nec profecto quisquam sanus aberravit sciens lubensque; nec ullus mentis adhuc compos repertus est, qui se petulanter è tecto præcipitem dederit, ut melioris institutionis loco vi vinculisque domari mereretur. Persuasio tollatur, si fieri potest, sin minus, relinquatur; donec vis altior, & lux major accedat, quæ precibus & pœnitentia à Deo exorari, non conviciis & clamoribus, id est, peccatis extorqueri potest. Præterea quis est, Auditores, qui ignoret, modum scopumque res arduas concipiendi non unum eundemque dari, & quod in his certe tolerandum est, in aliis demum inverso pollice rejiciendum videri? Quem latet, eum, qui nobiscum consenserit, non statim quoque pium fidelemque futurum, aut semet agnita semel veritate dignum præstiturum, non magis profecto, quam ipsi sæpe imaginarii victores deprehenduntur? Quis non intelligit, eum, qui sine manifesta pectoris persuasione alteri ad stipulatur, à fœdo illo teterrimoque hypocriseos, ut appellant, crimine neutiquam absolvendum putari? Si Cato vero
 bonus

bonus esse maluit, quam videri, quanto magis Christianum decet, ore veritatem quidem profiteri, sed simul animo, factis, totiusque vitæ curriculo comprobare? Quis deinceps tam projectæ audaciæ est, ut neget, tam vecors, ut dissimulet, tam sensu communi ipsis quoque rudissimis concessio privatus, ut ignoret, omnem cultum Deo gratum non oris sed mentis præcipue, non sermonis sed actionis esse, ac propterea tot vagos desultoriosque passim impostores reperiri, quos fames, quos ambitio, quos levitas, quos vecordia, quos inquietas vitæ turpitudine exagitavit, & modo in hoc, modo in aliud littus projecit, novo deinceps æstu resorbendos, & cuiusvis vento fluctuique ludibrio futuros, denique nec illis, quos reliquerunt, pœnitendos, nec his, ad quos se contulerunt, utiles? Quis postremo nescit, Auditores, cognitionis & scientiæ gradus in hominibus diversos esse, & si omnia ea vel perfectione vel certitudine à nobis in hoc orbe cognoscenda forent, quæ nullos admitteret errores, aut dubia, circa quæ sæpe meditantibus aqua hæreat, tum verò perparum aut nihil ipsis Superiorum cœtibus relinqui; & si hoc ad salutem acquirendam noxium fuerit, tum viam omnem ad Cælestium felicitatem perveniendi obseratam penitus atque præclusam fore? At o nos, o ipsos gladiatores illos morosos quoque felices, si modo ad frugem redierint, nec in æternum sine missione pugnare concupiscant, alias hominum, alias prorsus divini Numinis esse cogitationes & judicia! Tales itaque non male feriatos, ut Venusinus ille Trojanos infeliciter otiantes, & abdomini suo, donec urbs caperetur, inservientes appellat, sed male laboriosos declamatores, censoresque non captis rite prius auspiciis sed vitio creatos arceri volebat, ut feriarentur, ut pax & concordia ad abigendam intestinam luem, recreandas vires, propagandam pietatem, retardandos adversariorum insultus instauraretur. Veritatem quamvis & dogmata non modo sufficientibus argumentis fulciri, sed etiam defendi, adversariorum vero sententiam refelli posse censebat, sed utrumque sine conviciis, sine succo nigræ loliginis & ærugine, gnarus alios libertatis, alios licentiæ mores esse. Nec ipsi Romani Pontificis asseclæ hanc regiam in consummato hoc Principe nostro curam ignorabant, quantusque præterea murus utrisque Evangelicæ Veritatis confessoribus

existeret; ita tamen, ut non modo à qualibet horum, sed ipsorum quoque Romanis Sacris addictorum persecutione in omnibus regionibus suis ac provinciis abhorreret, modo ipsi quiete pacificeque viventes nullam in se gravius consulendi & animadvertendi necessitatem vel invito extorquerent; aut non calamitates alibi nostratibus illatæ eo reluctanter animus Regis adigerent, ut adversarios vicissim paulo strictius in uno alterove suarum regionum loco haberet, donec hi mox apud externos Principes de malorum causis quererentur, illi sua recuperarent: quod ipsi Embricensium & Hammerslebiensium collegiorum sacerdotes cum grata paulisper inhibita mox sibi restituta libertatis memoriâ fatebuntur. Alioquin, Auditores, non eum latebant alibi deploranda multis in sacrorum nostrorum cultores odia plusquam Vatiniana, & immensi quorundam furores. Veteres tot cicatrices non refricabimus. Æterna nocte, per me licet, obruantur insana gigantæ temeritatis facinora, Deo, Naturæ, Rationi, non vim, eculos, quadriemes, necem, non fidiculas sed fidem, sed cum verbis ipsum persuasi pectoris assensum postulantibus contraria. Quid in Poloniâ vicinaque illi Borussiâ, quid in quibusdam Germaniæ quondam florentissimis sacrorum emendationum sedibus, non tam Principum ipsorum sæpe mitium & laudatissimorum, quam atrâ bile choleraque laborantium sacrificulorum culpâ, susurris, instigationibus ex merâ cæcitate profectis intritum fuisset, quod non sine gravi dolore deinceps exedundum foret, quid intricatum, quanto conamine sanies suppuratis hujusmodi ulceribus rursus extrahenda stetit, quid ipse pro incredibili fide & constantiâ suâ laboris sumptuumque huc contulisset, pulchre recordabatur. Documento erant certissimo vel soli Salisburgenses, ne aliorum mentionem faciamus; quos aris focusque extorres, imo exfulandi libertatem orantes & pro summo jam beneficio libenter amplexos, ne deinceps asperiora paterentur, nos aliique passim vidimus. Eorum vero quantam multitudinem Rex noster Serenissimus, quâ porro clementiâ, benignitate, gaudio, quàm prolixâ voluntate & studio recepit? quâ altitudine mentis & nobilitate Supremi Numinis imaginem quodammodo repræsentante eorum misertus est, qui velut ex turbulento & procelloso mari, ex decumanis fluctibus in littus ejecti,
vel

vel cum raptis obiter asseribus enatantes, ita nudi inopesque suas tabulas, naufragii & calamitatis indices, circumferabant? quantâ liberalitate illis agros, lares, greges, jumenta, nummos assignavit? Pauciora idcirco, Auditores, de his tam divinis & incredilibus beneficiis impræsentiarum à nobis proferenda esse putamus, quia jam ante septennium, cum Serenissimo Clementissimoque hodierno REGI nostro, tunc Principi hæredi, de conjugali fœdere gratularemur, plura de hac re verba fecimus, & deinceps publicæ luci committere non dubitavimus. Non possum tamen, quin hic etiam nonnulla de singulari & heroico favore, literarum quoque studiis, eorumque officinis interim præstito adjiciamus; Sive quod veram demum & exceptione majorem æternitatem, quam diu hic orbis durat, unicuique rei literariis monumentis, quicquid alii sentiant, acquiri, sive quod sine iis pristinæ barbariei caliginem his terris iterum incubituram perspexerit. Nec enim æra, nec marmora, nec gesta, nec virtutes ullam aliam quam per Literas perpetuitatem cognoscunt. Hoc si austeri superbique contemtores perpenderent, paulo præclarior, opinor, & magnificentior de studiis & artibus Palladiis sentirent. Ut vero taceam de tutela & libertate facta tectaque & per Clementissimum illum Regem nobis benignissime conservata, mussitante licet indecorâ forsan invidiâ, & frementibus secum, quos suorum votorum minimeque laudabilis animi pudere oporteret, osoribus; quis ignorat nova Geometriæ, Anatomices, Architectonicæque collegia jam in initio regiminis ejus aperta Berolini conditaque fuisse? Non hic silentii velo involvenda sunt larga illa amplissimaque privilegia equestri, ceu vocant, Academiæ à Joanne Nicolao Franzio quondam fundatæ concessa, cujus curam peculiarem præterea probatissimis sibi Viris, & meritorum titulo præcellentissimis Prinzenio atque Grumcovio demandandam censebat: non Collegium, quod dicitur, Groninganum Stargardiæ in Pomerania quondam institutum, postea vero temporis & bellorum injuria neglectum collapsumque, sub hoc vero Rege quasi in lucem revocatum & ad perfectionem deductum; non tot alia favoris & benevolentia signa Orphanotrophio Halensi, Pædagogeo Regio, pluribusque hujusmodi virtutum & artium bonarum officinis vel repetita, vel primitus demon-

strata, & publicis sanctionum monumentis stabilita; non insignium nitidissimeque compactorum librorum copia Regiæ Scientiarum Societati, quæ Berolini floret, largiter donata; non ipsa denique quarumvis scientiarum augmenta sicco nobis hic pede prætereunda videntur, quæ publicis & hebdomadalibus narrationibus Regia auctoritate in diversis Regni & subjectarum regionum urbibus, ut in hac ipsa Duisburgensi pariter inseri iussa sunt, quibus non tantum animi subditorum simul atque alienigenarum pascere, & ad majorem rerum hæctenus ignotarum, vel non satis excussarum notitiam pervenirent, sed unde etiam utilitas in publicarum ædium, præsertim viduatæ juventutis institutioni consecratarum rationes derivaretur. Hoc quod nulli hæctenus Regum Principumque, si bene meminimus, in mentem venerat, quodque universæ Antiquitati incognitum fuit, multos autem fortasse deinceps imitatores habebit, ipse non modo suscepit, sed etiam sine multis, ut solebat, ambagibus perficiendum curavit, urfit, omnesque difficultates profligavit. Ut enim frigidæ & subtiles inutilium quæstionum strophas, profeminandis alendisque dissidiis & altercationibus, nutriendæ morosæ & pædagogicæ arrogantia, pascendis pinguibus & ignavis ventribus inservientes, viperino sanguine pejus detestabatur, ita contra masculam solidamque quamvis eruditionem, quæ non procax & acerba, non servilis, non sectaria, sed suo velut tibicine fulta, sed plena bonæ frugis esset, & instar uvæ radiis solaribus maturatæ colorem duxisset, amabat, promovebat, commendabat; talem porro sibi cordi esse monstrabat, qua sublato Pyrrhonismo cognoscendi & judicandi vires promptæ & alacriores redderentur, scientiarum augmenta, extensis earum pomæriis, procurarentur, mores hominum emendarentur, virtutes inculcarentur, mentes denique cujusvis Veritatis radiis illustrarentur. Omne illud hominum genus odio sibilisque dignum credebat, qui multa & præclara minantes nihil expedirent ipsi, sed allatis aliorum sententiis magnos strepitus excitarent, Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & nescio quos alios veteres novosque creparent, ignari penitus, quid ipsi sentirent, quid inde expiscati fuissent, quid detexissent, quid lucis & commodi sibi aliisque lucrari possent. Non doctos hos viros & eruditos,
nedum

nedum sapientes in castris Musarum legitime militantes, sed lixas & calones esse, non cordatorum puncta merentes, sed cum tædio nauseaque potius explodendos esse putabat, imò proletariis mangonibus non absimiles, quorum scruta sordidæque merces à novis Ædilibus in Tiberim jactarentur. Durum hoc nimis omnibus Suffenis, & Annalium Volusianorum conditoribus videbitur. Durum sanè, fateor; sed levius hoc illis patientiâ fiet, quod cum omittendo vel corrigendo consuetudinem suam vitare potuissent, continuato potius cacoëthe non provocare nefas esse duxerunt. Inter omnia vero nihil prius & antiquius in votis habebat, quam ut eæ artes magis magisque excolerentur, quarum ope mortalium cætus illustriores reddi, ipsis hominibus propter inventionis gloriam simul insignis quædam nobilitas & secundus rumor conciliari, urbes denique oppidaque ornari, insigniri, & celebrari posse viderentur. Et quid dubitamus, Auditores, aut hæremus? Hinc ipsa illa magnificentia profluxit plane singularis & heroica, non minutis quibusdam & pusillis negotiis, non ludicris oculorum & cito transituris oblectamentis, non Bajanis deliciis & Seplasiæ redolentibus, non Attellanis tantum multisque scenicis prurientium vernularum aut flebilium næniarum repræsentationibus, magnos sæpe reditus ultra modum absorbentibus, impensa; sed durabilis, sed ætatem ferens, sed æterna futura, lucemque suam & splendorem tam re quam scriptis ad seros usque posteros transmisura; sed talis præcipuè, de qua non vanè gloriari posset, & Venusinæ fiduciæ ritu exclamare, exegisse se monumenta ære perenniora, & regali omnium obeliscorum, ac Pyramidum Ægyptiarum situ longe altiora. Quid enim de incredibili variorum ædificiorum publicis præsertim usibus & commodis dedicatarum splendore, de armamentariorum, granariorum, exedrærum, de castellorum, mœnium, portarum sumptibus, quid de Xenodochiorum, Nosocomiorum, Orphanotrophiorum, quid de basilicarum, de superbarum turrium, curiarum, templorum cum alibi passim, tum in regali ejus sede præcipue excitatorum stupendis molibus, multitudine, & apparatu multa moneamus quemquam, aut enarremus? Tot illa tantaque censerî possunt, ut *Berolinum* jam verè, nec vano tantum & incerto literarum omine, sed reapse *orbi lumen*

esse cognoscant incolæ, recordentur inquilini, mirentur hospites, testentur & obstupescant omnes; quam elegantissimam totius Germaniæ urbem, & tanto Rege atque Electore, nullis nisi extraordinariis & perennem famam extensuris operibus semet oblectante dignam, cum illustrissimi Parentes ejus à Majoribus suis lateritiam accepissent, sed non aliter, opinor, ac olim septicollem suam sedem Romanorum Imperator Augustus, marmoream reddidissent, & magis magisque simul amplificassent, ipse deinceps auream, si fieri posset, & universæ Europæ mirabilem efficere conabatur; cujus etiam nuper imaginem super omnia talis artificii & magnitudinis exempla typis æneis descriptam sortiti sumus, turrato suo vertice, situ, splendore, magnificentia, nitore omnibus aspectantibus stuporem, & aquilini hujus domicili cultum injecturam; cuique nunc alii viri docti, ingenii & doctrinæ laude florentes, talia Annalium monumenta erigere gestiunt, quæ nec innumerabilis annorum series diruere valeat. Idem ut in cæteris quoque regionum suarum civitatibus fieret, quantum loci cujusvis ingenium pateretur, operam dabat, præceptis instruebat, præmiis & muneribus invitabat. Testes sunt omnes quoquo versus regiones, testes urbes, seu in Regno ejus, cui quondam præfuit, seu in reliquis terris & Civitatibus sane plurimis & præstantissimis reperiantur; testes inquilini, testes hospites, & horum pariter & superiorum temporum faciem facta comparatione sibi ante oculos ponentes. Cum quatuor supremas Artium bonarum officinas, cum tot illustres alias & minime contemnendas studiorum palæstras, cum tot urbes, oppida, regiones, provincias, regnum à Majoribus accepisset, quorum nonnullis accessionem non levem se Principe fuisse factam gaudebat, hoc cum cæteris superius jam memoratis sibi relictum videbat, ut eorum gloriam, celebritatem, frequentiam, ornamenta, quantum simul alia consilia ardua sane & miranda permetterent, augeret, extenderet, propagaret, non tam morans, quid angustiores animi de se sibi fingerent & suspicarentur, quam quid ipse pro altitudine mentis suæ prorsus singularis & heroicæ, spretisque rebus omnibus abjectis & humilibus maxima quæque repagula perfringentis, crederet esse possibile, decorum, salutare. Magis ipsam veritatis semitam, licet ob defuetudinem sentibus

bus & dumis obseptam, quam vulgo frequentatam erroris orbitam insistendam credebat, imitatus sæpe Sapientem illum, qui juxta Cordubensis sententiam non ita qua populus, sed ut sidera contrarium mundo iter intendunt, adversus opinionem omnium vadit. Mirari plerique nec intelligere, nonnulli etiam pene dubitare, quomodo tam altæ tamque diversæ Virtutes in unum Principem coirent & se quasi constiparent. Enimvero alterius quoque splendoris & magnificentiæ genera, quoties occasio ferebat, vel regiæ majestatis sublimitas exigere videbatur, licet alioqui diligentissimus, si ita loqui fas est, & velut ad unguem factus Paterfamilias esset, minime Rex hic incomparabilis negligebat. Hinc illa toties per Germaniam cum Vicinis illustribus, cum fœderatis & amicis Regibus, cum cæteris terrarum Dominis, cum Angliæ, Daniæ, Moscoviæ, aliarumque regionum Principibus, cum serenissimis Collegis Electoribus, cum invictissimo Romanorum Imperatore Carolo Sexto, pio, felici, Augusto, quondam instituta colloquia, nunquam nisi singularibus insitæ sibi peculiaris cujusdam dignitatis indiciis emicantibus ab eo suscepta, nunquam nisi mirificis benevolentiae signis ultro citroque semet exserentibus habita, nunquam sine veneratione, quam sibi apud externos Principes excitaverat & relinquebat, finita. Taceo conventus plurimos cum multis illorum subito & ex insperato velut amicè captatos; taceo innumerabilia itinera per integrum Regnum, per urbes, per agros, omnesque fines suscepta ad opificiorum frequentiam, commerciorum decorem, fororum celebritatem, fundorum oppidorumque culturam, juris & judiciorum sanctitatem promovendam; quæ omnia talia sunt, ut etiam peculiarem curam & narrationem promereri videantur, non ita velut ad clepsydræ, inclinante jam paulatim in vesperam die, & nonnullis forsân stomacho suo post duplicia sacra etiam latrante, deproperanda sint. Sed ventrem quidem, Auditores, non Curiositatem, auribus carere accepimus; quare reliqua eâ tamen, qua licet, brevitate expediemus. Taceo aulam ipsam, non mutis & inertibus statuis, sed tot veris, tot egregiis, & insignibus subditorum ejus statuminibus, tot, inquam, Ministris, & Consiliariis quondam repletam, & etiamnum, seu sacra cogitemus seu civilia negotia, fulgentem, ut vix,

vix, iterum bene subductis mecum rationibus & confidenter exclamo, simile exemplar, certe nullum præstantius per Europam, nedum per cæteras orbis terrarum partes, huic nostræ reliquis omnibus longe cultiori facile submissis fascibus cedentes, inveniri queat. Hoc equidem vere affirmare posse videor, à temporibus Avi ejus FRIDERICI WILHELMI, ne de prioribus loquar, hanc Aulam illustre quoddam Theatrum fuisse, in quò Virtus, Dexteritas, & Doctrina invicem quasi de palma certaverint, & Europæ totius oculos in se converterint, ipso Livore facile nobis, facile populorum consensui calculum adjecturo. Ad regalem illam magnificentiam & splendorem seriâ dignitate semper temperatum, de quo paulo ante verba fecimus, revertor. Quis non recordatur, Auditores, quo apparatu postremum Poloniæ Regem Augustum Secundum, quâ pompâ, quâ magnificentiâ exceperit? à quo non modo ad admirabilem & stupendam exercitus Martem jam ludibundum & feriantem repræsentantis lustrationem prope Mulbergam in Saxoniam inter tot tantosque Principes ei similes unus omnium, velut singularis cognitor, invitatus fuerat, sed cui simul & hujusmodi & quorumvis apparatus gloriam curæ cordique esse, non ignorabat. Parcior ejus rei laudator esse possum, cum de totâ hoc magnificentiam vicissim Augusto, maximos sumptus incredibili quadam liberalitate etiam pro nihilo habenti, demonstratâ, de pompâ, mirabili prorsus militarium & civilium rerum dignitate, non brevi & temporariâ, sed prope modum statâ vel assiduâ, de hominum concursu, votis, acclamationibus, stupore integra existent volumina ad seræ posteritatis memoriam consignata. Et tamen, Auditores, tamen, inquam, Auditores, tali tantoque Principi, tanto Duci, tanto Heroi, tanto Regi, tanto Soloni, vel, si mavultis, Justiniano, in quo uno Romulum simul Numamque, duos sacrarum civiliumque rerum constitutores celebratissimos, quos sibi blandiens Roma, nec prioris casus, nec alterius supersticiosos ritus jactare verecundans tantopere demiratur, in quo uno pariter & conditorem Ancum, & militaris disciplinae auctorem Tullum Hostilium, in quo omnes denique Heroas magnos, singulares, admirandos simul non dicam revixisse, sed quo duce illos operum maximorum, quorum
ipsi

ipsi primas quasi lineas tantummodo duxerant, consummationem discere potuisse videbamus, tanto, inquam, summorum virtutum in unum congestarum Compendio moriendum erat, moriendum!

Musicae Lugubris Iteratio.

Priusquam luctuosum hunc obitum, nec ulla nisi propter incomparabilem tanti Patris Successorem solatia admisurum, paucis attingamus, breviter commemorandum videtur, Auditores, valetudinem à primis incunabulis Serenissimo Regi contigisse optimam, & rarioribus olim ac fere nullis morborum insultibus interpellatam. Et cum in multis Domibus propter luxum molliemque à variis hujusmodi casibus nunquam pax longa, raro concedantur induciæ, ipse propter mirificam in summa rerum omnium, quibus circumfluebat, felicitate temperantiam cæteris etiam mortalibus longe minoribus pudorem iniectionem nihil sibi minus, quam debilitatem teneram & obnoxiam contraxerat. Ad omnes aëris injurias, ad frigoris æstusque vicissitudines mollioribus noxias & intolerabiles penitus occalluisse videbatur; tantum aberat, ut motiunculis, levibusque, velut aliis sæpe contingit, offensis perstringeretur. Accedebat peculiaris Dei cura & providentia Ei, dum viveret, aliquoties insignibus plane documentis demonstrata; quorum hoc quoque memorabile satis exemplum est, quod cum in tenerâ adhuc infantiâ constitutus forte inter ludendum, sicut fit, exiguum quoddam spinther aureum, alligandis calceamentis adhiberi solitum, deglutiisset, essetque periculum maximum, ne tenello hoc ventriculo fatale & mortiferum redderetur, incredibili & insperata Dei benignitate subito iterum hoc malo liberatus est; unde illud, velut conspicuum cælestis & extraordinariæ providentiæ monumentum, adhuc hodie conservari, & à curiosis interdum, quibus propior accessus conceditur, etiam visi, narratum meminimus. Nec prætereundum videtur, quod me juvene & primum in hanc bonarum artium officinam vocato, aut non diu postea, in publicis lectum Tabellis fuisse recordamur, similiter divinæ tutelæ signum manifestissimum. In venatione quadam aprum horribilem persequabatur. Eum cum ingenti ictu vulnerasset, simulque equo defiliisset, ut

ferro penitus adacto conficeret, ecce spumans frendensque bellua, nec Calydonio fortasse, nec Erymanthœo, vel quovis alio portento temporibus Heroicis celebrato persequenti facilior, viribus iterum paulo ante mortem, ut interdum fieri solet, collectis, fulmineo dente tantum fortissimi Regis pedi vulnus infixit, ut non omnino discriminis expers per aliquod tempus decumbere cogeretur, at sic tamen omni periculo deinceps discusso feliciter evaderet. Ut itaque longe major, ita quoque fortunatior fuit Nicolao Serinio, egregio quondam Hungarorum vindice, fortunatior Theodoberto, Carlomanno, Basilio, illis Austrasiæ Franciæque Regibus, hoc Græcorum Imperatore nobilissimo, qui in similia discrimina venientes tristiores exitum senserunt. Contigit hæc Serenissimo Regi peculiaris divinæ conservationis tutela anno hujus seculi vigesimo primo; meminique etiamnum, me tum huc applicuisse versum Nasonis forte fortuna memoriæ nostræ occurrentem, & ipsum illum annum numeris Romanis, vel literarum quarundam ductu, si quis hæc puerilia miretur, designantem,

* *ActVs aper setIs IraM DenVnClat hrtIs,*
Et rVI.

Tale & illud caelestis custodiae documentum fuit, quod ante duodecim admodum annos ei Dresdæ in Saxonia contigit, cum à Serenissimo Poloniarum Rege primâ vice invitatus in Urbis illius Præfecti, Celsissimi atque Excellentissimi Comitis Wackerbartii ædibus commoraretur. Iis enim subito incendio, cum alta & concubia nox esset, correptis, penitusque non sine lacrimabili pretiosæ supellectilis & omnium monumentorum veterum novorumque jactura in cinerem redactis, ipse salvus illæsusque evasit, cumque alii nonnulli in eadem domo commorantes prius ordinario mox & letali sopore sepulti interiissent, Deo pro tali custodia & manifesta sui conservatione in præsentissimo vitæ discrimine gratias egit habuitque singulares. Tam fideli Superiorum tutelæ cum quasi commissus & commendatus esset, causam dari non unam videbat, cur sibi præter omnium membrorum robur & vigorem de mentis quoque serenæ viribus & hilaritate gratularetur. Ut enim à Patre Avoque cum gravitate, decentia, & pietate

* *Vide Notas infra.*

pietate fortitudinem hauserat, ita à Serenissima Genetrice omnes castissimas Veneres & Charitas complexa hoc quasi hæreditarium fuerat adeptus, ut plerumque frontis esset exporrectioris. Nascebatur hinc sagacitas singularis egregiâ iudicandi facultate suffulta; tum fiducia laudabilis plurimum quidem consiliis aliorum, quos probabat, tribuens, sed & sibi non pauca reservans & semper occupata. Diuturnas enim ferias sanè nec alteri, donec operi par esset, nec sibi met ipsi concedendas statuebat. Instar mundi rerumque cælestium semper erat in motu, nec facile cessabat igneæ mentis alacritas. Accedentibus tamen paulatim annis, cum simul plus corporis fecisset, laboribus & negotiis circa caput & latus ejus assiduè salientibus, nec quicquam remissis, arthritici primum podagricique dolores se indicare, & magis magisque multiplicare videbantur. Iis subinde, mox & crebrius affligebatur Rex maximus, naturæ interim firmitate identidem, quamquam non bona semper fide, velut exitus demonstravit, eum sublevante. Talis erat, fueratque sæpius, cum ante sexennium ferè, & quod excurrit, in itinere Germanico gravi iterum morbo corripere, atque ita ex Alsatia finibus in Cliviam nostram, dolentibus subditis & Principi suo meliora precantibus, deferretur. Diri hydropis non obscura, si recte memini, pluriumque malorum vestigia jam tum se manifestare & adungere videbantur. Omnibus tamen præsentissimis remediis adhibitis ita restitutus fuit, ut post recoillatas hac sollicitudine vires, corpusque recreatum in Regiam iterum commode deferri posset. Hic deinceps malo recrudescente, novis Medicorum subsidiis & bene deliberata curatione per aliquot annos ita pristinam sanitatem recuperare visus est, ut plane in portu navigare videretur, nisi quatenus etiam tranquilli maris, aut lacus, cum ex tempestate requievit, tumor quidam tremorque residuus est. Tandem circa finem superioris anni ultimus morbus erupit, tantaque vi & pertinacia, tantis in maximum hunc Regem insultibus incubuit primum Berolini, postremo Postdami, quò fallaci sed inveteratâ lue nonnihil remittere visâ se, velut ad recipiendum spiritum, paulo post initium Veris deferendum curarat, ut tandem, quod pridem inchoaverat, jam diu spretis rerum periturarum crepundiis semet ad discessum componeret,

nec vitæ pertæsus, nec mortem metuens, sed gnarus hoc singulis in orbe degentibus manere stipendium, ut moriantur, vitamque nulli mancipio datam, sed omnibus tantum commodatam fuisse. Plenus ergo præsentissimæ mentis & fiducia in solius Dei misericordia, & pretioso Servatoris sanguine positæ ultimo Maji nuper elapsi die circa horam pomeridianam fere tertiam inter ardentis adstantium preces & suspiria, inter cantus & hymnos pœnitentiæ speique in Deo fixæ manifestos indices, post ultimam benedictionem omnibus impertitam relictamque, jam scoriis omnibus consumptis purgatus, jam cælo maturus regiam efflabat animam, eamque, mortalibus exuviis ad tempus segregatis, Regi Regum æterno, & Domino dominantium commendabat. Sic intrepide, sic omnibus velut ad iter suscipiendum compositis mori conveniebat Heroi, qui cum maximus esset, nihil in mundo habebat, unde major fieret, quàm vanitatem rerum terrestrium penitus agnoscendo, seque Divinæ voluntati sine residuis alterius vel voluptatis, vel opum, vel gloriæ curis subjiciendo. Stupere alios, alios in lacrimas ire, iisque diffluere vidisses, cum magnum hunc Regem adeo lubenter & tranquillè convasatis quasi sarcinis, aut potius abdicatis, è domo in domum, è castris turbidis & desultoriis in vera stativa demigrare cernerent; cum eundem semet ipso jam majorem, & velut solem occidentem contemplantur, abeundo & recedendo magis magisque conspicuum & ampliorum. Sed de his mox clarius meliusque, Musis etiam nostris in subsidium decenter advocatis, nec minus verè tamen, quæque fecerit, cum abituriret, quæque locutus fuerit, agemus. Nunc inchoatam semel telam pertextentes prius reliqua persequamur. Matrimonium felicissimum iniverat cum incomparabili, cunctisque sexus sui dotibus ad miraculum usque cumulatissima Principe Hanoverana, subditorum omnium delicio, amore, solatio, SOPHIA DOROTHEA, Regina Vidua superstite, & diu, si spei votisque locus est, per singularem Dei benignitatem superfutura; quæ hoc insigni & paucis sane concessio munere cælesti gloriari potest, quod Regem habuerit PARENTEM, prudentissimum Georgium primum, trium florentissimorum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ regnorum Sospitatore; Regem nacta fuerit MARI-
TUM,

TUM, cujus res gestas eâ, qua fieri potuit, brevitate modò delibavimus; Regem salutet FRATREM, hoc ipso tempore, relictis paulisper Britannis suis, Hanoveranos subditos præsentia exhilarantem; Regem denique jam FILIUM cum incredibili solatio, votis, affectu, gratulatione agnoscat & amplectatur, FRIDERICUM, nunc Dominum nostrum Tutoremque longe clementissimum. Quàm insigni verò amore hanc verè Regiam, & Deo hominibusque probatam Conjugem Rex magnanimus nuper defunctus semper profecutus & amplexus fuerit, quâ sanctitate, fide, constantiâ, qua probitate non modo Regibus Principibusque viris, sed ipsis quoque privatis exemplum memorabile præbiturâ eam in animo oculisque tulerit, non modo testimonia uno velut ore per orbem terrarum celebrata confirmant, verùm etiam tot egregia cælestiaque regalis thalami, nexusque anno hujus Seculi sexto, die decimo quarto Calendarum Decembris optimis ominibus, & incredibili cum magnificentiâ contracti pignora testantur, quæ, præter quatuor illustres animas in tenellâ ætate rursus in cælum, unde venerant, sublatas, hodie numero supersunt denario. Præter Serenissimum enim REGEM nostrum, tantæ Majestatis legitimum hæredem, omnibus, quantum in hominem cadit, sapientiæ, bonitatis, clementiæ, cæterarumque virtutum numeris absolutum atque consummatum Principem, FRIDERICUM, cujus annos in Nestoream ætatem ad subditorum salutem & solatium divina Omnipotentia propagare dignetur, numerantur AUGUSTUS WILHELMUS, FRIDERICUS HENRICUS LUDOVICUS, AUGUSTUS FERDINANDUS, omnes delibatus flos & medulla suæ Gentis, Principes juventutis, vivæ vividæque illustrissimorum Parentum imagines, ante diem in ipso ætatis lubrico magnarum rerum documenta præferentes; imo inter tot altissimæ fortunæ illecebras aliorum ingenia secundis rebus sæpe fatigantes assidui Virtutum gentilitiarum imitatores, & instar Rhodani lacum Lemantum sine mixtura trans-euntis suæ semper originis & dignitatis memores; tum FRIDERICA SOPHIA WILHELMINA, FRIDERICA LOUISA, PHILIPPINA CHARLOTTA, SOPHIA DOROTHEA MARIA, LOUISA ULRICA, ANNA AMALIA, non pulchritudine tantum & venustate, sed ingentibus vir-

tutum ornamentis simul conspicuæ & micantes, velut inter alios ignes minores, majorique lumine habetatos solis coruscantis splendor, aut lunæ tranquillioris serenitas; quarum quatuor priores jam illustribus maximorum & antiquissimorum in Germania Principum gentibus felici matrimonio insertæ sunt, Culmbacensi, Onoldinæ, Brunovicensi, duplici etiam nexu, Serenissimi Filii Filiaque matrimonio, artius copulata, & mox quoque cognatæ Brandenburgicæ Suetensi. Paucis ut dicamus omnia, Auditores, erat Rex Serenissimus nuper defunctus Maritus fidelis, Pater sollicitus, Legislator severus, Judex incorruptus, Dux peritissimus, Heros intrepidus, Princeps magnanimus, Rex incomparabilis; corpore decorus, colore olim lacteo, deinceps fusco magis rubidoque, & Martialis agitationis pulverem testante reverendus, toto vultu majestatem Paternam, Avitam, omniumque Majorum suorum, tum Maternum leporem, jucunditatem, & florem referens. Idem sublimis suæ cæloque proximæ personæ, sibi à Deo, quam in terris ageret, impositæ, custos severissimus, & simulac animum remiserat, aut alia quævis occasio ferebat, exporrectæ frontis, inferioribus communis & affabilis, etiam minora sciendi & audiendi, & sic è suo quasi fastigio paulisper descendendi, Principumque partes linquendi cupidus; quamquam innatæ insitæque cujusdam altitudinis radii ita semper emicabant, ut ipso etiam vivacium oculorum obtutu naturalis illa, non tantum temporaria majestas quibusvis aspectantibus peregrinis & ignarissimis proderetur, ac facile patesceret, quam regia mens hospitium sibi in illo corpore fuisset metata. Hoc enim à Serenissimis Parentibus suis, Patre Avoque, cum infinitis aliis naturæ dotibus velut hæreditarium consequutus fuerat, ut etiam à nescientibus, Regiæque majestatis vel immemoribus vel ignaris diu sine verecundia & oculorum demissione ob altitudinem mentis ex ipso vultu prorumpentem, & velut tacitis quibusdam ictibus humiliora ferientem, aspici & considerari non posset. Inprimis hoc de Avo ipsius FRIDERICO WILHELMO Magno sapissime commemoratum audivimus, quod idem felicissimo & vere sagaci Romanorum Imperatori Augusto peculiare fuisse, accuratissimus scriptor Suetonius memoriæ prodidit. Nimirum ut verum esse fateamur, & in
Regibus

Regibus etiam ipsis ac terrarum Dominis, præclaro sanguine genitis præclarumque genituris, eventu non raro comprobatum, quod sive Tacitus, sive Quintilianus in suo de Oratoribus libello ait, non codicillis præstantissima quæque Mentis bona, sed indole & natura, imo peculiari quadam Superiorum benignitate genti cuidam sanguinique concessa provenire, velut propria.

Sic igitur subito correptus turbine Princeps,
 Quo major toto non fuit Orbe, jacet?
 Cumque valescendi, renovatis viribus, Aulæ
 Spes nova jam requiem lætitiæque daret,
 5 Hactenus insigni tardata recruduit arte
 Non nisi cum vitâ diffugitura Lues?
 Mortis & extremum gelidæ falx intulit ictum
 Ferrea, fatali sic agitante Dea?
 Ah nimium verax, alias mendacia spargens,
 10 Urbibus & populis nuncia Fama fuit;
 Perculit & nostras trepidâ formidine mentes,
 Suspensas inter spemque metumque diu.
 Ecce jacet certâ FRIDERICUS morte WILHELMUS,
 Ille sui Cyrus temporis, ille Solon.
 15 Ille Solon, Sol ille fovens simul & simul urens:
 Lædentes urens, læsa calore fovens.
 Ille sequendarum, seu pax foret aurea, legum
 Conditor, immixtis seu fera bella malis.
 Ortus Avo magno, cui cederet Hector in armis,
 20 Æacides victas cui daret ipse manus:
 Patre satus, regnum qui condidit alite dextrâ,
 Insolitum nostro quod prius orbe fuit;
 Hinc sibi maternâ longum decus, inde paternâ,
 Tradere quod posset, nobilitate petens:
 25 Cælestique genus majorum stirpe suorum
 Deducens, similes vix quibus alter habet.
 Gesta quid Europam, totamque per Afidis oram
 Vocibus & scriptis concelebrata sequar?
 Humani generis quis florem nescit ab Illo
 30 Collectum Martis constituisse Scholam?
 Quam sibi Threicio properans Gradivus ab Hebro
 O Juraret

Juraret patriâ non regione datam.
 Quâ nimis attonitus visâ clamasset Achilles:
 Jam mihi, jam vilis Pelias hasta, vale!
 35 Texta retrocedens clypei septemplicis Ajax
 Damnasset, merito seque pudore tegens.
 Ipsi Scipiadæ, Juvenis Pellæus & ipse
 Optassent tali discere bella duce.
 Is quoque, Pompejo qui Magno major, & omni
 40 Subjecto pedibus fortior Orbe fuit,
 His, reor, arma stupens armis, his artibus artes
 Gauderet Cæsar postposuisse suas.
 Cætera quid memorem præclara negotia Regis,
 Ipsa quibus victi cedat arena maris?
 45 „Ite! Deum precibus memores celebrate vel hymnis,
 „Jussaque, dicebat, rite patrare, Viri!
 „Cætera præstabit Deus ipse, Deique voluntas,
 „Sæpe gravis nobis visa, sed æqua tamen.
 Talia militibus dictabat, talia cunctis,
 50 Quos Umbo templi, quos alit Urna fori.
 Sancta quis ignorat legum monumenta bonarum,
 Virtutem populos quæ cumulata docent?
 Aut compescendis Vitiis sine fine renatis
 Edita mirifico mille statuta modo?
 55 Dicitur in cælum terris Astræa relictis
 Sub Jove fatalem continuasse fugam.
 Hanc revocare labor visus pulcherrimus Illi,
 Sons hominum posset si tolerare Furor,
 Nec remeare sacro cupientem culmine Divam
 60 Arceret culpis turba profana suis.
 Ardua laus! qualem vix postera secula credent,
 Huic uni duplicem sic placuisse Viro,
 Legibus armandam, decorandam fortibus armis
 Qui majestatem censuit esse suam;
 65 Rite gubernari quò posset tempus utrumque
 Mellifluæ Pacis, militiaeque simul;
 Non modo fulgeret rigidis ut victor in armis,
 Vim sibi collatis hoste parante minis,
 Sed quoque legitimo constricta Calumnia nodo
 70 Cessaret miserum ludificare genus;

- Falsaque Jus cunctis, ambagibus ante recisis,
 Demeret, aut contra, quæ manifesta, daret.
 Hos fore magnificos non vanâ mente triumphos,
 Hoc solidæ norat Relligionis opus;
- 75 Hinc sibi subjectis procedere gentibus omnes
 Continuaturæ prosperitatis opes.
 Ecquid enim pulchri populis speretur & æqui,
 Aurea si toto fugerit orbe Fides?
- 80 Quæritis, unde fluat fortuna miserrima rerum?
 Quid perdat multas perdideritque domos?
 In genus humanum quid acerbam Numinis iram
 Provocet, & sacræ tela trifulca manus?
 Unde suas labes Urbs plurima traxerit olim,
 Urbs quoque nunc labes plurima forte trahat?
- 85 Unde status populi, Respublica corruat unde?
 Panaque mortales non premat una greges?
 Quæritis hoc cæci, causis & inanibus usi
 Clauditis ad medium lumina vestra diem?
 Res satis evadet cuivis manifesta, superfit
- 90 Unica sinceri si modò mica salis:
 Justitiæ cultus terris evanuit olim!
 Nomen adest; restat vix levis umbra rei.
 Illius Astrææ dudum super æthera raptæ
 Nomen adest, inquam; proh pudor! omen abest.
- 95 Nomen adest; duplex mutetur litera; vellem
 Salva foret nobis altera; Numen abest.
 Nomen adest, sed Numen abest tam Virginis almæ!
 Ludite nunc casâ, si placet, ergo nuce!
 Triticeis fatuam licitè pro frugibus æram
- 100 Promite, pro veris omnia falsa Bonis!
 Vendite pro rutilo viles adamante lapillos!
 Pro gemmis populo vitrea fracta date!
 Talia quis credit censoria verba mereri?
 Plurima blanditiis crimina tecta placent.
- 105 Huc sua pars vertit præconia, vertit & omnes
 Oris & ingenii vividioris opes,
 Ut color accedat factis speciosus iniquis,
 Ut Mala Virtutis veste per ora volent.
 Sicque fefellerunt, alios ut fallere possint,

- 110 Se prius, omniscio cuncta notante Deo.
 Maxima Romuleis documenta nepotibus olim
 Non Cato, non Catulus, sed Catilina dabat.
 Nunc damnosa trahunt plures exempla malorum,
 Quàm pia præclaris facta probata Viris.
 115 Semper in ore Fides pravis sua, pectore nunquam.
 Recta loquenda quidem, non facienda putant.
 Donec Avernali monitore ferocia crescat
 Barbara, reliquias surripiente Boni,
 Ut vel recta loqui pudeat; (nam recta patrare,
 120 Criminis, exclamant, non levis esse loco)
 Alterius limis spectent ut nomen ocellis,
 Verbaque traducant optima fellis ope.
 Ut sibi, quæ Virtus dicat, probrosa reantur,
 Cumque Fide Candor, cum Pietate Decor.
 125 Deseritur pauper; dives placet, unde crumenæ,
 Unde fiti ratio constet, & unde fami.
 Infima miscentur summis, quadrata rotundis;
 Aspera concordant lævibus arte pari.
 Insidiæ, fraudes, fuci, perjuria gliscunt;
 130 Nec modus his technis, nec pudor ullus adest.
 Quilibet audaces tumidâ cervice vagantur
 Per fora, nec tectâ fronte vel ore, Doli.
 Quid queror? Orchestris, Graduumque bis Ordine septem
 Sæpe sedent; ipsum sæpe Tribunal habent.
 135 Seque velut toto jactant verniliter orbe,
 Et, quasi re gestâ jam bene, dona petunt.
 Latrat at horrendo dum dira Calumnia rictu,
 Verbaque Tartareâ fauce canina vomit;
 Dum volitat miserum nitidâ cute dira per orbem,
 140 Crescit & alterius sanguine pasta cohors,
 Interea Probitas plorat, fugit, esurit, alget;
 Et Virtus Vitii nomine tecta latet;
 Scommata mox referens, dicteria quælibet horrens,
 Et vix consputâ cognita veste sibi.
 145 Talia cum fiant, cum totum sæpe per Orbem
 Justitiæ spreto Numine facta volent,
 An quæremus adhuc caussas fontemque malorum,
 Sub quorum tellus mole gravata gemit?

Ergo

Ergo Tuum pectus quis tam cæleste profari
 150 Speret, & ex merito concelebrare decus?
 Voce quis ardorem, quis scriptis exprimat ullis,
 Lux quondam Regum Maxima, luxque Ducum?
 Pace Solon, bellis Hæctor, FRIDERICE WILHELME,
 Temporis o verè lausque stuporque tui!
 155 Prisca quod injectis frænasti cautus habenis
 Tot mala, tot diras orbis in orbe lues;
 Quod tales semper Tibi quærere cura perennis,
 Sorte quibus similes Tros Rutulusque, fuit;
 Lunula seu nitidis argentea forsan alutis,
 160 Annulus aurato seu foret orbe reis.
 Hos tibi dilectos, solos hos esse fideles,
 Hos tali dignos nomine, certus eras;
 Non alios omnes, quos regia sæpe sub uno
 Comprensos titulo formula nosse nequit;
 165 Fronte serenatâ sua quos tortore flagello
 Mens mala sollicitos difficilesque facit;
 Qui sine Candoris stabili fundamine, semper
 Sive tument stolido pectore, sive timent;
 Et modo proturbant, vitio modo mentis anhelant,
 170 Speque metum dubiâ, spemque sequente metu.
 At Tibi diversi semper placuere, serenæ
 Quos Fidei constans nobilitarat honos.
 Hos amoliri clades à gentibus omnes,
 Hos hydræ tumidas posse domare minas;
 175 Esse sacerdotes censebas, esse ministros
 Hos simul æterni Numinis, atque tuos.
 Hic tua se pietas iterabat in omnibus actis.
 Hæc tua relligio, laus tua, Cardo tuus.
 Justitiam populo, Pietatis munia Cælo
 180 Deberi, constans sensus & ardor erat.
 Ista propagari propriis Rex legibus, ista
 Per fora mandabat, per sacra templa feri.
 Nec nisi simplicibus verbis, & semper apertis,
 Et mera quæ Pietas promeret, Ordo merus;
 185 Fax quibus, & phaleris demtis tumor omnis abesset,
 Altera quòd sordens, luce quòd alter egens;
 Quodque sono nudo non constet adorea Suadæ,

Sed rebus nitidâ simplicitate fatis.
 Non hic vesicis displosis, hispide Perfi,
 190 Non opus est slopis, Censor inepte, tuis;
 Non tenebris ullis; quia, si sermone loquendum est,
 Nubibus ablatis quærere certa lubet.
 Usibus his Linguae gravis & divina facultas,
 Usibus his lumen seruiat omne Styli;
 195 Qui neque se stolidè jactet, nec sordibus unquam
 Puteat, ampullis nempe situque carens;
 Quique sagax rebus variis attemperet orsa;
 Surgere qui possit, fidere quique velit;
 Denique Naturam prudens imitetur in omni
 200 Sive Boni picto schemate, sive Mali.
 Hac ego mirificâ non sum perfectus in Arte.
 Scire fatis, fateor, sæpe labare tamen.
 O quoque jam possem, duplicatis viribus, ipsi
 Materiae numeros æquiparare meos!
 205 O mihi jam Suadae si flumina, qualia Nili,
 Qualia vel Rheni fontibus orta, forent!
 Si laterum vires, si vox mihi debita rebus!
 Justus & ingenii sufficientis honos!
 Quanta mihi sese jam panderet orbita rerum,
 210 Cui decurrendæ vix fatis una dies?
 Malumus at viso subsistere litore tantum,
 Complicitis velis & revocare ratem;
 Parva nec Oceano committere carbasa vasto,
 Naufraga quo fieri firma carina queat.
 215 Nam satius tantis servare silentia rebus,
 Quam tenui stipulâ perdere carmen, erit.
 Non tamen Herois sunt tristia funera nostri
 Planctibus, & lacrimis jure dolenda piis?
 Cernere Nestorei, vegetatis viribus, ævi
 220 Tempora caelesti qui meruisset ope;
 Inque suâ dextrâ numerare fluentibus annos
 Ad nutum fatis ad libitumque sibi.
 O dolor! o rebus mortalibus addita cura!
 O nimium tristes Sortis in orbe vices!
 225 Unica Mors vertit molimina quæque frequenter
 Maxima lugubri, cum ruit hora, joco.

Quam

- Quam vivi cupiunt, terram tenuere sepulti
 Tres quondam summi præcipuique Viri:
 Asia, Crasse, tibi est; Pompejus at Africa rura
 230 Obtinet; Europam Cæsar opertus habet.
 I nunc, & votis illos obiisse potitos,
 Tota quibus tellus tam fuit arta, nega!
 Hæc aulis caulas, hæc castra simillima rastris,
 Victores victis efficit una pares.
 235 Rex sacer immensum tamen ostendebat in ipsa
 Morte sui robur pectoris atque jubar.
 Qualis, ubi languens picto rosa curvat in horto
 Lassatum nimio sole vel imbre caput,
 Jam prope præcipuum moriens exhalat odorem,
 240 Seque super reliquas aura Sabæa probat;
 Qualis apex flammæ superas abiturus in auras,
 Vim cuius tenuit fumus & humor iners,
 Approperante gravis jamjam sibi fine calor
 Emicat, & plenus lucis ad astra volat;
 245 Qualis in occasum cæpit cum vergere Titan,
 Et Tartessiaco proximus esse salo,
 Jam magis atque magis præstantior orbe videtur,
 Amplior & miri tota figura globi:
 Talis ubi morti jam proximus, ardua crevit
 250 Gloria magnanimi nobilitasque Viri.
Triste Vale sanctæ jam dixerat ore Maritæ,
 Cantatum toto quæ decus orbe gerit;
Triste Vale Natis, Natarum *triste* Coronæ,
 Pignoribus sacri sideribusque tori;
 255 *Triste Vale* cunctis geminaverat ordine longo,
 Omnia luminibus summa vel ima notans.
 Cumque prius dubiæ non parva crepuscula Mentis
 Sensisset, Stygio ter quater orta dolo,
 Mox iterum clypeo, quem noverat ante, resumpto,
 260 „Vicimus! exclamat, spes mea fixa Deo.
 Vicimus! & ridet tot inania tela, geritque
 Robore firmatum pectus & ære Spei.
 „Peccavi, fateor; sed nunc quoque pecco, benignus
 „Ara mihi fuerit ni Deus unus, ait.
 265 „Ille meis toties offensus lapsibus, ille

- „ Jam meus est; domito jam favet hoste mihi.
 „ Ecce cruentatas redimentis crimina Christi
 „ Nostra manus! flagrans ecce cor! ecce pedes!
 „ Ecce caput sacro venerandum sanguine pendens
 270 „ In cruce, confossum vulneribusque latus,
 „ Postque triumphatos hostes jam sede potitum
 „ Sidereâ, Cujus morte redempta salus!
 „ Vicimus! o strepitus! o tempora turbida nobis
 „ Acta prius, quovis turbidiora mari!
 275 „ His præ deliciis instantibus æthere summo,
 „ Et duraturis tempus in omne bonis;
 „ Præque triumphorum post fata paratibus istis,
 „ Cælicolæ quos dant jam mihi, jamque dabunt.
 „ Solis ab occasu per terras Solis ad ortum
 280 „ Vana cupi tantum, vana putamus agi.
 „ Orbis imaginibus stupeat, cerisque superbis,
 „ Et titulis verum credat inesse decus.
 „ Nil Sol nobilius generoso milite Christi,
 „ Nil prius in toto, quâ patet, orbe videt.
 285 „ Huic est Libertas, Sapientia, Gloria, Virtus,
 „ Huic, quibus obstupeant Hermus & Indus, Opes.
 „ Præterea quid me tandem remoretur, Amici,
 „ Terreno quamvis & sit in Orbe decus?
 „ Si quantum spatium diuturni vixerit ævi
 290 „ Quisque sibi senio jam gravis ipse suo,
 „ Id spatium, quo nec vixit, nec vivet in orbe,
 „ Conferat, heu tempus quam breve nactus erit!
 „ Non immaturus, qui, quantum limite ducto
 „ Debuit in terris vivere, vixit, erat.
 295 „ Nil illi superest, sua cui mensura suusque
 „ Processit numerus Sorte volente datus.
 „ Nec justas causas muliebriter ille querendi,
 „ Qui carpsit, quantum carpere jussus, habet.
 „ Quem dederat cursum Deus & natura, peregi;
 300 „ Quodque mihi satis est dicere posse, *Fui!*
 „ Quid loquor æger? *Ero*, longeque beator illo,
 „ Numine qui quondam suppeditante *Fui*.
 „ Hæredem linquo, de quo mihi gratulor ipsi;
 „ Gratulor & populo lætus ovansque meo.

305 Talibus obticuit prolatis; ecce reprimens
Verba, „PRECES PRECIBUS JUNGITE, sol-
var; ait.

Jamque *Vale letum* repetito dixerat actu
Omnibus, in terris quæ sibi grata prius,
Discussoque metu bis ter rogitarat, adesset

310 „Num sibi sublatis hora suprema moris?
Cum bene compositâ tranquillus mente jacebat,
Redderet hanc Auram dum ratione sacram.

O vitâ magnus, magnus quoque morte vocandus,
Pacis & Armorum, Martis & Artis honor!

315 At vos, o Cineres placidâ jam sede repositi,
Quâ pia secretus spirat amoma locus,
Lucis ad extremæ certum requiescite tempus,
Dum facer æthereâ Spiritus arce viget.

Interea nostros solabitur ILLE dolores,

320 Leniet & justos diminuetque metus,
Quo constat cunctis latantibus undique terris
Linquere Te majus non potuisse Bonum;
Ille Tuus Gnatus, Tuus Ille salutifer Hæres,
Et jubar & gentis lucida gemma Tuæ!

325 Victor in æthereis PATER arcibus ergo triumphat;
FILIUS in terris sceptrâ corusca gerit.

Utraque causa Deo placuit, placet utraque terris;
Utraque mutari tam rata causa nequit.

Ergo quiesce, precor, duplici jam mœsta Querela

330 Nomine, nec superis obstrepe rauca Diis.
Nemo vices plangat; lacrimas suspendite gentes!

Danda etenim tanto sunt meliora Viro;
Innumerabilibus cum rebus maxima Proles

Qualia curabit tempore quæque suo.

* * * * *

335 SEntio Phœbêam magis ecce valescere flammam,
Si major fieri maxima flamma potest.

Spiritus intus agit certe novus. Imus, Apollo.

Imus, io! quò nos cogitis ire, Deæ.

Este procul glebæ terrestri inertia nobis

- 340 Pondera; ferveſcit dum calor, eſte procul!
 Permittet propius poſitis accedere curis
 MAJESTAS Solio REGIA poſſe Suo.
 REGIA MAJESTAS non indignabitur, alis
 Nunc Cujus requiem gens Heliconis habet.
- 345 Jamque adeo ſalve, magnorum Gloria Regum,
 Et ſimul ingentum Dux, FRIDERICE, Ducum:
 Cui Viadrus pronos ſua volvit in æquora fluctus;
 Cui plaudunt famulâ Rhenus & Albiſ aquâ.
 Quem Sprea ſubmiſſi jam vorticis amne ſalutat,
 350 Luppia quem Dominum gaudet habere ſuum.
 Balthica cui Tethys, cui Pregela ſervit, opesque
 Devehit, & plures, quos numerare labor.
 Tene ſibi dudum Muſæ ſolamen egentes,
 Tene redonatam ſpem ſibi, tene Ducem,
- 355 Tene ſalutarem verni quaſi temporis auram
 Sperarunt? latâ Tene levamen ope?
 Tene rati dubiæ Cynofuram nube remota?
 Tene patens Helicen per mare? Tene Pharon?
 Tu ſimul adfulges populis, velut ortus ab undis,
 360 Et matutino Cynthius ore rubens,
 Plauſibus exciperis gratantum mille Dearum,
 Sperantumque novo gaudia priſca die.
 Integra deprædans Pæſtana roſaria paſſim
 Lætâ Tibi flores ſpargere turba cupit.
- 365 Promittunt omnes ſibi pacis amabile tempus,
 Aptaque Pieriis otia juſta Sacris.
 Oppida reſpirant, trepidi recreantur agreſtes,
 Exultant poſito templa ſcholæque metu.
 Pulpita venturo ruruſus ſplendore renident,
 370 Nunc quoque, dum lugent fata ſuprema Patris.
 Te conſolantur ſolo ſua damna recepto;
 Tu fragili reſtas portus & aura rati;
 Ara Sacris noſtris; ſtatio ſperata carinis;
 Umbra fatigatis; pacis & arrha piis.
- 375 Vive triumphator noſtri mœroris, & auſpex
 Lætitiæ prono, Rex FRIDERICE, Deo!
 Vive Pater patriæ per Te lugere parantis
 Parcius, & certam mente videntis opem!

- Publica Telluris gravidæ sine fine noventur
 380 Gaudia, quam Liber ditet, & alma Ceres.
 Prosperitas niveis per rura, per oppida bigis,
 Per mare, per terras, per loca cuncta volet.
 Paxque, Themisque, Salusque, Perennaque circumfufis
 Prolongent quævis emolumenta Bonis.
 385 Aurea primævo fluerent cum tempora mundo
 Qualiter Astrææ falciferique Senis;
 Nectare cum fluvii, fluvii cum melle tumerent,
 Demeret & rivis lacteus humor aquam.
 Jubila continuis feriant clangoribus arces
 390 Ætheris, elicit quæ popularis amor.
 Ingeminet plausus duplicatis vocibus Eccho,
 Ludat & attentos per nemus omne vagans.
 Antra leves musco circumlita festa Napææ,
 Et Dryadum celebrent Naiadumque chori.
 395 Quale genus vitæ! fora jam rabiosa Valete,
 Clamarem; tota quicquid & urbe strepit!
 Horrida si surgunt iusti certamina Martis,
 Avertat clemens quæ tamen, oro, Deus,
 O pia Progenies, Proavis dignissima tantis,
 400 Parta quibus bello Pacis oliva fuit,
 Sancta Tuos quosvis Sapientia temperet ausus,
 Et Virtus Domui conciliata Tuæ.
 Ut vinctes causâ, sic vincas semper & armis,
 Et pia felici prælia sine geras.
 405 Adspirent ipsi simulantes classica Venti,
 Et conjurato turbine cæpta juvent.
 Ipse Tibi Boreas agitatis insonet alis,
 Et Notus, inflatis Eurus & ipse tubis.
 Dulcia compositis repetantur ut otia rebus,
 410 Ut fluat aternæ Pacis amœna quies.
 Ut Tua vivaci veletur janua lauru;
 Janua Leucadio semper amata Deo.
 Fluctuet ut culmis, ut messibus albeat omnis,
 Censibus & Libycis horrea ditet ager.
 415 Ut vigeant terrâ commercia læta marique,
 Hoste gravi nullas injiciente moras.
 Ut partis opibus sine vi, sine fraude fruatur

- Quilibet; ut Feritas, ut Dolus exul eat,
 Alter in alterius ne fœdi crimine luxus
 420 Grassetur, cupidæ vel face mentis, opes;
 Candor & Integritas, sceleratæ incognita turbæ
 Numina, se firmâ sed statione locent.
 Ut Salomonêi grex gaudeat omina regni
 Te Duce, Te Domino, Te sibi Rege dari.
 425 In falces abeant ut noxia tela recurvas,
 Vomere permutet letifer ensis opus.
 Sola novis mustis ut præla madentia sudent
 Sanguine pro fuso tingat & uva lacus.
 Rustica pone sacram resonent ut carmina stivam,
 430 Inter & errantes fistula lata greges;
 Nostraque deserto strepitu simul urbis avena
 Grata Diis nemorum, grata Deabus ovet.
 Sicque piis redeat vitæ cœlestis imago
 Gentibus, Astrææ tempore qualis erat,
 435 Ambitione procul, vafrâ procul arte, dolisque,
 Et procul infani calliditate fori;
 Mortales dapibus dum lætabantur inemptis,
 Omnibus & tellus publicus hortus erat.
 Dum litui nulli, dum classica nulla sonabant,
 440 Nec male divisis bella cruenta locis.
 Justitiæ Pietas det ut oscula fida forori;
 Obvia Candori pergat ut alma Fides;
 Vite sub umbrosâ, sub ficu transfigat ævum
 Subditus, & Cælo serviat atque TIBI.

D I X I.

NOTÆ.

N O T Æ.

EX quibus fontibus hæc omnia, quæ protulimus, petita sint annotare nec valde necessarium esse videtur, nec propter brevitatis & festinationis studium hoc tempore consultum. Plerosque Scriptores, vel certè præcipuos, qui de Rebus Marchicis & Brandenburgicis generatim egerunt, ante septennium jam in Annotationibus nostris *ad Orationem Panegyricam* in Nuptias hodierni Serenissimi Regis FRIDERICI, tunc Principis hæreditarii, obiter adduximus. Plures qui desiderat aliosque, consulat *Notitiam Scriptorum Marchiæ Brandenburgicæ Historiam illustrantium* adjectam Tomo II. Operum Nicolai Leutingeri. Quod speciatim ad gesta Potentissimi Regis nuper defuncti attinet, cum plerumque finito demum Vitæ curriculo talia describi soleant & possint, pleraque ex publicis scriptis & relationibus per singulos annos mensesque in lucem protrudi solitis, fide dignioribus tamen & magis elaboratis, vel aliunde hausimus. Præcipua & plurima ex ipsius Regis edictis, constitutionibus, cæterisque mandatis publicæ luci commissis depromimus, quæ nec fallere nos potuerunt, & præ reliquis omnibus cum fide simul cultum atque reverentiam merentur. Ipsa Scripti nostri lectio hoc satis docebit. Exstat quidem etiam Commentarius de Rebus Maximi illius Principis, eo etiamnum vivente à quodam conscriptus, sed ob exhibitam exiguam probæ selectionis & iudicii curam non satis approbatus, & propterea etiam in paucorum manibus versans. Subsidio nobis tamen non rarò fuerunt tales Commentarii vel Memoriarum (*Memoires* appellare consueverunt Franci occidentales) quæ in Germania alibique de aliorum Regum, Principumque, & belli Ducum rebus gestis post eorum obitum in lucem prodierunt, cum eorum perpauci reperiantur inter recentiores, qui inclaruerunt, quin simul crebram Potentissimi hujus Regis, & factorum ejus mentionem ob celebritatem, magnitudinem, gloriam, & potentiam contineant. Tales sunt Commentarii & Relationes de Rebus gestis Caroli XII. Augusti II. Sueciæ & Poloniæ quondam Regum, Petri I. Alexiadis Moscoviæ Imperatoris, de vita & Rebus magnorum belli Ducum Eugenii Sabaudiaci, Malborugii, Villarfi, Wackerbartii, aliorumque multorum hujus seculi principum virorum, Regum, Heroum, Ducum & cæterorum, quos omnes recensere prolixum nimis foret & onerosum, nec fortasse semper operæ pretium. Nos hic pauca quædam alia majoris vel lucis vel oblectationis causa adjicere decrevimus.

Pag. 44. lin. 16. *Talia Annalium monumenta* &c. Prodiit nuperrime, scilicet hoc ipso seculi præsentis quadragesimo anno *Chronicon Berolinense*, vel potius pars illius prima in Folio, cujus adhuc quatuor ejusdem Formæ Volumina promittuntur, Auctoribus Johanne Christophoro Mullero, & Georgio Godefrido Kustero, illo Regiæ Cameræ Berolinensis Advocato, hoc Gymnasii Fridriciani ibidem Rectore, & Societatis Scientiarum particeps. Præter Chronici Inscriptionem Titulus est: *Altes und Neues Berlin* &c. *In fünf Theile verfasst / mit Kupfern gezieret / und nöthigen Registern versehen. Erster Theil.* Addatur Auctor *Collectionis Opusculorum Historiam Marchicam illustrantium*, quæ diversis Linguis, multisque Fasciculis in Octava Forma Berolini prodiit, & quidem Fasciculo IV. & V. alibique sæpe.

Pag. 46. lin. 28. *Integra essent volumina* &c. Talia sunt das *Frolockende Berlin / oder historische Nachricht dererjenigen öffentlichen Freuden-bezeugungen / und sinnreichen Illuminationen / die bey hoher anwesenheit Ihro Königl. Majestät in Pohlen / und dero Königl. Prinzens Heheit daselbst angestellet worden. Berlin 1728. in 4to.* Adjecta sunt das *Frdliche Dresden.* Item das *Frolockende Wittenberg / Ibidem impressa, & prædicandæ utriusque Regis illius magnificentiæ, honori, & gloriæ interservientia.*

Pag. 48. lin. 17. *Ipsum illum annum numeris Romanis.* Versus Ovidianus ille reperitur in ejus *Halicutico*, Tomo priori Operum Nasonis plerumque adjungi solito, §. 59., ubi integer locus sic habet:

*Aëus Aper setis iram denunciat hirtis,
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri.*

Nos verò illud inter perorandum ob quorundam indolem talia admirantem vel quærentem adjicere non dubitavimus, licet alioqui ab omnibus chronodistichis, etheostichis, & similibus Transalpinorum nugis, ut Itali jam dudum vocitarunt, vehementer abhorreamus, non modo ob abulum eorum, & temporis longe melioribus rebus negotiisque impendendi jacturam, sed etiam muneris ipsius officique nostri causa, cum experientia ipsa constet, veræ puritatis, nitoris & castitatis neglectum hinc ortum fuisse, postquam rebus ipsis, & dicendi cogitandique regulis susque deque habitis atque contemptis homines magis ad magicas suas (sic pene dixerim) figuras pueriliter, quam ad utilitatem publicam, & Artis cujuslibet decorem & præstantiam more veterum conservandam & propagandam attendere ceperunt. Exstant innumerabiles doctorum hominum per Germaniam, Galliam, Italiamque de his nugis Monachalibus & Eloquentiæ Poëseosque corruptelis toties effusæ, legelæ, Jani Nicii Erythræi, Dan. Georg. Morhofii, Hadriani Valesii, Ægidii Menagii & aliorum. Idque tanto magis jultiusque, quoniam austeri & superbi artium bonarum & Elegantioris literaturæ Contemptores sæpe tales abortus cum ipsis præstantissimarum disciplinarum arcanis & mysteriis confundere consueverunt; quasi vero Gnosticorum & fanaticorum deliria sanctiori & venerandæ Theologiæ, legulejorum & rabularum ineptiæ diviniore Jurisprudentiæ, aut circulatorum & histriionum anitergia præclarissimæ Arti Medicæ fraudi esse, & honorem detrudere debeant. Quenam hæc iniquitas? Absint tam profani & inconsulti judices, digni qui ob iniquitatem, livorem, vel ignorantiam risu sibilisque excipiantur, aut furcillis à radicibus Pimpleji montis, cujus apicem nunquam viderunt contigeruntque, ejiciantur! Juvat hic solius Petri Burmanni, Clarissimi Viri, judicium apponere, qui in *Itinere suo in Arcadiam Novam*, seu *Somnio* inter alia de *Anagrammatum & Chronodistichorum* cultoribus fabrisque ita canit:

Nam quia, translatis elementis, nomina multis

Mercurii poterat vertere fracta modis,

Pieria similem sibi non credebat in arte

Vivere, nec lepidis versibus esse parem.

Et quia, quæ spatio superabat, litera fratres

Proderet arcana tempus & arte diem; &c.

Expediit virgam Deus & caput icit inepti

Vatis & aeterno membra sopore ligat.

Nec tamen in somnis Anagrammata fundere cessat,

Temporis aut certi carmina plena notis.

Hæc non minus vera rectissimaque sunt, quam venusta & jocosa, longeque illorum judiciis præferenda, qui vel odio quodam occulto, vel inconsulta vehementia, vel arrogantia & fastu se tantum suaque titivilitia mirari solito, & omnibus infatuatis ad adorandum proponere non verecundante, vel denique ignorantia quadam summa imis commiscet, & cum lolio zizaniisque simul triticum & filiginem, id est, optimas fruges utilitati mortalium pastuique inventas conservatasque pene damnare vel audent, vel ad sua tantum ostentanda, & ne quid utile atque profuturum ignorassè credantur, audere videntur. Mihi vero necessarium visum fuit, hanc nostram de talibus rebus semel declarare sententiam, cum viderim, etiam nuper Celeberrimum quendam doctissimumque Virum non immerito his similibusque ineptiis, qua est doctrina & libertate multis meritis dotibusque conveniente, dicam scripsisse. Nec hæc assentatio nostra est, quam cane pejus & angue odimus, ei facta, cum multo plures & singulares talis sententiæ nobis causæ sint, quam illic legimus, quibus recensendis nunc immorari nolumus, nec invidia livorque noster adversus alteros illos Transalpinarum nugarum cultores nutriri cæptus, cum adhuc tyro & adolescens plures hujusmodi facetias (si ita nominari merentur ineptiæ) easque non illepide ex aliorum sententia factas postea discerpsim, & tardipedi Vulcano dederim, quam forte multi illorum per omne vitæ spatium caput scalpendo, & ungues rodendo sicca ingenii sui spongiæ extorserunt. Liceat hæc mihi sine jactantia dicere, quia vera sunt, & propter honorem artium bonarum vel instaurandum vel conservandum, quod munus mihi præter alios Deo & Rege ita volente impositum est,

unice

unice proferuntur; utque studiosæ juventuti exemplo pariter præceptisque ad nostra Sacra pertinentibus prosum. Solitus sæpe sum per jocum dicere, quicquid faciant hi miseri & ignavi temporis decoctores tortoresque, non tamen effecturos, ut artifices evadant cum Agyrta stygio comparandi, qui optimos verius cancrinos procudisse dicitur, quales illi *Signa te signa, temere me tangis & angis; Roma tibi subito* &c. quamquam tamen vulgarem illam fabulam de Gerberto, seu Papa Silvestro II. putidissimum esse mendacium vel ex solo *Sidonio Apollinari* intelligi potest, qui Libr. IX. Epist. XIV. ad minimum quatuor integra secula ante illud tempus partem hujus distichi velut jam antiqui citavit. Adeo fabulæ irrepunt & corroborantur. Inventus tamen est *Johannes Henricus Risus*, Superintendens, ut vocant, Hatzfeldicus, seculo superiore, qui integrum libellum cancrinis ejusmodi hexametris sub titulo *Tuba Pacis* confarcinatum fabricatus est; cujus vitam exhibet *Paulus Freberus* in *Theatro suo Virorum Erudit.* pag. 690. 691. &c. ubi quædam exempla proferuntur. O nugæ nugarum nugacissimæ! Hæc à me proferuntur ad amoliendas & compescendas, vel certe notandas ineptias magis magisque irrepentes, & simplicibus imponentes, doctos vero ad contemptum & irrisionem provocantes, non vero ut quemquam mortalium offenderem, cum potius è contrario, ne hoc facerem, tantopere silere maluerim, præsertim cum sciam, dari etiam doctos interdum, & bonis cæteroquin artibus non leviter instructos, qui se illo pravæ consuetudinis æstu abripi patiuntur, aut more Socratis cum pueris aliquando pueriliter sine gravitatis & decentiæ suæ jactura, quam instar morosi Timonis frontem semper contrahere malunt. Cæterum idem prorsus nostrum aliorumque recte sententium judicium, eadem est sententia de cæteris omnibus puerilibus ineptiis, cujuscunque sint generis vel nominis. Interim tamen non credo, quemquam tam ineptum stolidumque futurum, ut credat, ejusmodi literis numeralibus in antiquo dicto occurrentibus (nam nova facile à quovis mediocriter exercitato componi possunt) aliquid vaticinii contineri. Non ominis illi, sed potius leporis causa mirantur talia, quæ tamen nullam vel admirationem vel cultum promerentur, cujusmodi non pauca hic proferre possemus vel ab aliis inventa, vel à nobis adolescentibus detecta, si operæ foret pretium, aut decorum prætextatis & puerilibus inhærere minutis. Nec aliam opinor mentem habuit, qui ex iplo Regis defuncti nomine sine ullis additamentis scripto *FRIDERICH WILHELM* annum regiminis ejus initialem lepide exsculpsit. Nobis vero, ut diximus, etiam occasio de his rebus sententiam declarandi captata est; partim ut literis operantium animi ad utiliora traducerentur, partim ut malevoli & imperiti homines se frustra superbire, & si talia bonarum literarum cultoribus objecta velint, se cum umbra sua pugnare scirent, sentirentque paulo præclarius de auro, quam orichalco judicandum esse. Jam itaque, Sicelides Musæ, paulo majora canamus!

Pag. 53. lin. 3. *Sive Tacitus sive Quintilianus in suo de Oratoribus libello* &c. Locus hic insignis, sed infinitis Criticorum conjecturis tortus & hætenus frustra vexatus reperitur apud dictum *TACITUM* vel *QUINTILIANUM* (uter enim verus auctor sit libelli etiamnum dubitatur, & adhuc sub judice lis est) *de Oratoribus* cap. 7. En tibi verba ipsa, quæ nunc demum quamquam corruptissima & deplorata, velut spero, funditus sanabimus:

*Tum mihi supra Tribunatus & Præturas & Consulatus ascendere videor;
tum abire, quod si non in alio oritur, nec in codicillis datur, nec cum
gratia venit.*

Ad hujus loci ulcus plurimi velut muscæ calente meridie certatim advolarunt, ut ait vir summus *Hugo Grotius*, qui ipse ἀσύνβολος esse noluit, *Pithæus*, *Rud. Agricola*, *Lipsius*, *Salinerius*, *Moretus*, *Doula*, *Acidalius*, *Schelius*, *Freinshemius*, ipseque, ut diximus, *Grotius*, nomina non cuneis plebejis, sed orchestrae eruditorum assignanda. Omnis difficultas versatur primo in verbis *quod si non in alio*; nam pro *abire* legendum esse *habere* plerique sentiunt, & sine controversia certissimum est, ut proxima verba *datur, venit* satis confirmant. Deinde vero in duobus illis *cum gratia*, quorum ulcus paucissimi odorati sunt. Etiam nuperus *Anonymus* literis initialibus *I. C. T.* designatus in *Helveticis Tempe Sect. I. Tom. 2.* nihili conje-

Æuram protulit legens *in aliquo oritur*. Alio sane auxilio alioque vindice hic locus indiget. Nomen requiritur, quod *Codicillis & gratia* opponatur. Quare nec Joh. Schultingii primi in hac bonarum Artium Sede cultioris Literatura: Professoris conjectura ad Calpurnii Flacci Declam. XXIII. legentis *in cœlum abire, quod scilicet non ab alio &c.* nec Cl. Christ. Aug. Heumanni conatus Pœciles Tom. I. Lib. I. pag. 52. divinantis *quod non à majoribus venit, nec in Codicillis dat principum gratia*, ulli talium rerum perito & consideratius agenti Judici placere potest, cum ob sensum, tum ob improbam licentiam posterioris. Nimii sunt omnes, ut & Joh. Clericus Bibl. Novant. Tom. XV. pag. 100. pariter hæc frustra sollicitans. Antiquorum æstus ingentes & tormenta in Notis ad ipsum Taciti libellum latius videri possunt. Cuncta sane inventa, sive mutationem, sive sensum consideres, aliena sunt incongruaque. Loquitur de Eloquentia, quod ad eam ipsa natura debeamus habiles aptique reddi. Ego vero emendandum censeo unice:

*Tum mihi supra Tribunatus & Præturas, & Consulatus ascendere videor:
tum habere, quod si non indole oritur, nec in codicillis datur, nec
campi gratia venit.*

Id est, quod si alicui non innatum fuerit, ipsaque natura insitum, nemini per codicillos vel testamentum potest legari, nec favore populi ejusque electione in Campo Martio Comitibus Centuriatis ad Magistratus creandos fieri solita cuiquam contingere. En tibi verissimam scripturam omnibus præcedentibus verbis, literarum residuarum apicibus, corruptioni, & regulis Criticis unice convenientem, sine vi, ambagibus, & licentiâ, sed non sine venustate sensus & elegantia. Ut vero convincaris, nota minimum nos permisisse nobis, dum ex voculis ineptis *in alio* emendavimus *indole*, sensu & literis suadentibus; deinde vocem *gratia* peculiariter de Campo Martio & populi suffragiis dici; ac postremo cum locum κατ' ἐξοχήν solere à veteribus *campum* vocari, quod cum inepti descriptores ignorarent, facile ex τῶ *campi* deinde cum fuit mutilatum duabus etiam literis *pi* ob similitudinem proximarum *gr* elisis. Sic Cicero pro Milone cap. 16. *Diem campi*, id est, electionis, dixit. Horat. lib. III. od. 1. *Descendat in campum petitor*. Et sic millies alibi. Ut autem *gratia* favor ille populi suffragantis dicebatur, ita *gratiosi* tam candidati, quam omnes ejusmodi victricem causam habentes. Quintilian. Declam. CCCLXXXIII. statim in initio: *Venit illa in forum gratiosa: nec nos quidem obsitimus, quo minus vinceret*. Et sic alii sæpissime. Par vero sententia Sallustii Bell. Jug. cap. 85. de Virtute: *Ea sola neque dono datur, neque accipitur*; & Minucii Felicis cap. 16. de Christianis illiteratis, quos ait *nec fortuna natos, sed natura indeptos esse sapientiam*; ibidemque mox iterum adhuc præclarius: *Unde apparet ingenium non dari facultatibus, nec studio parari, sed cum ipsa mentis formatione generari*. Idem voluit Tacitus dicere & verissime nobis emendantibus jam iterum dicit, valere jussis & repudiatis sic demum, ut spero, omnium cæterorum vanissimis conjecturis & conatibus!

Pag. 54. §. 63. *Legibus armandam, decorandam &c.* Unusquisque gnarus sagaxque lector facile animadvertet, nos respexisse initium *Institutionum Justiniani*, quod sic cuiquam mortalium, vel Imperatori, vel Regi, vel cuicumque Principi convenit, certe in Serenissimum Regem nostrum nuperrime defunctum FRIDERICUM WILHELMUM unice quadrat, cum dicitur: *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam Legibus oportet esse armatam; ut utrumque tempus & bellorum & Pacis recte possit gubernari; & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat; & fiat tam juris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus*. Hunc integrum locum, ut vides, mutatis mutandis rite recteque usurpantes in alveolos nostros contulimus. Exstat locus huic fere simillimus, quo paria laudat in Augusto Cæsare OVIDIUS NASO, sed cujus turpissimum ulcus à nemine hætenus animadversum est, quod pene monstro simile possit videri, multo minus emendatum. Verba iterum mirifice nostro Regi nuper defuncto conveniunt, magis etiam quam ipsi Augusto Imperatori. Reperiuntur libr. II. Trist. §. 233.

*Urbs quoque te, & legum lassat tutela tuarum,
Et morum, similes quos cupis esse tuis.*

*Nec tibi contingunt, quæ gentibus otia præstas;
 Bellaque cum multis irrequieta geris.
 Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum,
 Nunquam te nostros evoluisse jocos?*

Viva hæc tanti Regis potius, quam Augusti imago est. Sed videamus locum ipsum, & Criticorum altissimum soporem. Dixerat Ovidius antea de bellis Augusti contra externos hostes, Pannonos, Illyrios, Parthos, Germanos; eosque vel penitus jam domitos, vel Germanorum reliquias à Tiberio sive Druso domari testatur. Nunc alteram curam Principis describit; quæ in emendandis civium moribus verfabatur, atque, illi non contingere otia, quæ aliis præstet, sed omnibus pacatis ipsum in pace & otio cæterorum negotiosum manere. Hæc transitio orationis ipsa vocula quoque satis indicatur. Quæ itaque sunt bella, quæ adhuc cum multis gerat Augustus? An cum externis hostibus? At illi jam victi erant, ut clarè satis monuit; nec de his amplius agit. An vero cum Civibus? absit! Omnibus præstabat otia. Quantivis pretii emendatio est, quaque vix pulchrior, magisque necessaria potest dari. Corrige me præde & obside:

*Nec tibi contingunt, quæ gentibus otia præstas;
 Bellaque cum vitiis irrequieta geris.
 Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum
 Nunquam te nostros evoluisse jocos?*

Propter censuram, inquit, perpetua jam & irrequieta bella geris cum Vitiis, ut cum hostibus olim. Hæc bella sunt verè æterna & continua; non vero cum civibus ipsis, non cum hostibus. Hanc laudem Augusti breviter Florus lib. IV. cap. 12 §. 65. ita describit: *Hinc conversus ad pacem, primum in omnia mala & in luxuriam fluens seculum gravibus severisque legibus multos coercuit; ubi hæc verba Ciceronis pro Marcello cap. 8. respicit Omnia quæ delapsa jam defluerunt, severis legibus vincientia sunt.* Jam vero pulcherrima locutio cum vitiis bella gerere. Seneca Epist. 51. *Sed satis diu cum Bajis litigavimus, nunquam satis cum vitiis; quæ oro te, mi Lucili, persequere sine modo, sine fine; nam illis quoque nec finis est nec modus.* Videsne Senecam hæc ipsa Nasonis verba ante oculos habuisse, & olim, ut nunc emendavimus, legisse, simulque illustrare? Idem de Provid. cap. 3. *Quod bellum tam cum Pyrrho, quam cum divitiis gerit?* Cicero Catilin. Orat. II. cap. 5. *Cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est.* Boëtius lib. II. Prof. 8. *Contra fortunam bella gerere.* Idem lib. IV. Prof. 7. *In virtute positi contra aspera bellum gerunt.* Aur. Victor de Cæsar. cap. 20. *Verum imperia, exercitus, atque ipsa vitia concessere.* Prosper Aquitan. Epigr. 2. *Nullaque sint pacis fœdera cum vitiis.* Fulgentius Mythol. lib. II. *Sicut Plato in Moralibus dixit: Sapientes viri majorem cum vitiis, quam cum inimicis pugnam gerunt.* Nazarius Panegy. cap. 31. *Duci sane omnibus videbantur subacta vitiorum agmina, quæ urbem graviter obsederant.* Mamertinus Paneg. ad Julian. cap. 4. *Perpetuum professus aut contra hostem, aut contra vitia certamen;* ubi cap. 12. similiter ait, *Suo negotio omnibus otium præstat;* ut non minus quam Seneca Ovidium imitatus fuisse videatur. Quid jam superest, nisi agnoscere morem loquendi veterum, & nostræ emendationis certitudinem? Pulchre huc facit Ottonis II. Imperatoris Symbolum *Pax cum hominibus, cum Vitiis bellum.* Quam facile vero vocabulum vitiis corrumpi potuerit in ultis, & mox repetita litera finali voculæ cum præcedentis in multis, experientia millies eruditos docuit & docebit. Neque alio artificio nos ante biennium in Duisburgensibus nostris Relationibus per singulas hebdomadas edis solitis cum multis aliis conclamatis locis emendavimus illum OVIDII Tristium lib. IV. Eleg. VIII. v. 19.

*Ne cadat, & titulis palmas inhonestet adeptis,
 Languidus in pratis gramina carpit equus.*

Ubi nunc in omnibus Editionibus inepte legitur *multas adeptas*, omnes verò Critici frustra æstuarunt, & intolerabilia tentarunt. Sat multis argumentis tum illud firmavimus, locis etiam quamplurimis aliorum, & inter alios hoc Statii huc respicientis Sylv. lib. V. Carm. II. v. 22. *Cum pulcher visu titulis generosus avitis Expectatur equus.* Vides itaque, ut ad superiorem locum redeamus, quam pulchre illa

irrequieta cum Vitiis bella Serenissimo quondam Regi nostro convenient, qui talia per omne regiminis sui tempus gessit. Quid itaque optandum est aliud, quàm ut tantæ gentis Proles diu regnet, diu imperet, diu morum censuram gerat, sui que similem progeniem relinquat? Dicemus hæc omnia verbis iterum OVIDII NASONIS, sed quæ, cum corruptissima sint, simul emendabuntur, quod frustra hætenus omnes tentarunt. E Ponto lib. I. Epist. II. §. 99.

*Di faciant igitur, quorum mitissimus ipse est,
Alma nihil majus Cæsare terra ferat.
Utque diu sub eo sit publica sarcina rerum,
Perque manus hujus tradita gentis eat.*

Hic iterum Rhodus, hic saltandum. Locutio *sarcinam sub aliquo esse* per se purida ineptaque est; ea enim non supponitur homini, sed imponitur. Olim edebatur *sic sit sub Cæsare terra*, vel *Roma*. Neutrum bene, quia *terra* & *Cæsare* jam præcedente versu leguntur. MS. alii habent *sit publica sarcina mundi*, vel *terræ*; quod posterius etiam Justus Zinzerlingius Promulsid. cap. 45. frustra ex Codice suo Thuringico defendit. Quidam habent *sit publica sarcina curæ* vel *rerum*, de quibus idem iudicium esto, locutiones hæc esse ineptas. Monstri aliquid latere docet Claud. Saravii Codex ita vaticinans: *Utque diu sub eo sit publice saro terræ*. Videsne jam latere anguem? Video, inquis; sed quis ænigma solvet? Securus esto; longe majora solvimus & solvemus, quod sine jactantia ob solam publicorum Scriptorum utilitatem & salutem dicere non erubescimus. Non frustra exhibent MS. in fine versus *Cæsare terra*; non frustra alii *sarcina terræ*, vel *Cæsare cura*, non frustra unus *publicæ saro terræ*; scripsit enim Ovidius Naso, scripsit, inquam, ἀναμφοβήτιτος:

*Di faciant igitur, quorum mitissimus ipse est,
Alma nihil majus Cæsare terra ferat.
Utque diu sub eo populi censura recurat,
Perque manus hujus tradita gentis eat.*

En gemmam præclaram iterum reductam. Dii, inquit, faciant, sub eo Principe diu recurat populi censura, diu lustra condantur, diu ille morum agat curam, ea que per manus seræ posteritatis ejus continuetur. Vides unde partim ex præcedentis versus clausula, partim ex similitudine corruptarum literarum fluxerint *Cæsare terra*, *Cæsare cura*, *sarcina curæ*, *rerum* & similes nugæ; unde τὸ re elisum ob neglectam repetitionem exciderit, & quæ sunt plura ejusmodi. Heinſii & aliorum conjecturæ ne quidem recensionem merentur. Audi nunc simul, ut fortunam mireris, hæc ita imitantem Martialem lib. IV. Epigr. 1.

*Perque manus tantas plurima quercus eat;
Hic colat ingenti redeuntia secula lustris &c.*

Vides mutatis mutandis loco *censuræ* Ovidianæ Martialem *lustrorum* meminisse. Cicero de Provinc. Consul. cap. 16. *Per manus hanc provinciam tradat ei, cui vos minime velitis*. Cæterum horum duorum locorum restitutionem ante annum singulari cuidam Scripto cum multorum aliorum emendatione inserui, quod instigante Viro quodam Doctissimo sub ficto *Claudii Civilis* nomine dederam, ut extraneis quibusdam fasciculis immisceretur; cui quoniam ignoro quid factum sit, quidve contigerit, aut in quorum manus deinceps inciderit, non modo hæc loca opportune hic adducta, sed paulatim cætera omnia nobis vindicabimus, ne, si forte operæ pretium fuerit, nescio qua culpa intercident; præterquam quod solus Ovidius, ut de cæteris hic taceam, vel tribus millibus gravissimarum mendarum, in quibus frustra per tot annos, totque Criticos desudatum fuit, Deo volente, penitus à nobis liberari possit, & talis fieri, qualis suo tempore in scriptis fuit, non qualis nunc circumfertur magna ex parte sibi dissimillimus, & à Criticis sæpe adhuc magis depravatus. Quod ut clarius elucescat, unum adhuc alterumque locum hic addemus, præfenti Orationi & voto nostro convenientem. Quod itaque Principi nostro FRIDERICO Regi Clementissimo apprecamur, hoc fere totum pro nobis dicit OVIDIUS ille NASO, cujus locus Trist. lib. IV. Eleg. V. §. 25. &c. quia deploratus varicque corruptus est, hic adducatur:

*Sic tua processus habeat fortuna perennes :
Sic ope non egeas ipse, juvesque tuos.
Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni,
Incidat & vestro rara querela toro.
Diligat & semper socius te sanguinis illo,
Quo pius affectu Castora frater amat.
Sic juvenis, similisque tibi sit natus, & illum
Moribus agnoscat quilibet esse tuum &c.*

Is, ad quem ad hæc scribit Natio, jam natum habebat, ut satis verba indicant, quod nos Serenissimo Regi nostro similiter apprecamur. At ille natus nondum erat *juvenis* (ut nunc præterentem locum aggrediamur) cum ipse Pater demum talis esset, ut sequentis distichi pentameter manifeste docet, *Nec tardum juveni det tibi nomen avi*, nempe filia paulo jam adultior. Præterea inepte junguntur hæc copula tali *juvenis similisque*. Nic. Heinſius hoc posteriori loco *superet* divinat. Sed requiritur aliquid nexui *similisque tibi sit*, & literis convenientius, quod mox tibi præstabitur, ubi primo monuerimus, tertio versu iterationem vocis *perenni* insulsam esse, cum *perennes* præcedat. Cl. Heinsii conjectura non solum præter causam temeraria, sed etiam quoad mentem Auctoris falsa est *suam bonitate parentem*; nam de marito ipso loqui Poëtam pentameter in eadem serie persistens indicat, unde nec alia, quæ Burmannus adducit, audienda sunt. Totus locus, præsertim ultimus sine omni controversia sic unice, sic, inquam, unice, o boni, emendandus est :

*Sic tua processus habeat fortuna perennes ;
Sic ope non egeas ipse, juvesque tuos.
Sic æquet tua nupta virum bonitate serena,
Incidat & vestro rara querela toro.
Diligat & semper socius te sanguinis illo,
Quo pius affectu Castora frater amat.
Sic subeat, similisque tibi sit natus, & illum
Quilibet agnoscat moribus esse tuum.*

En veram eamque venustissimam Nasonis scripturam. *Æquet te virum, ait, tua Nupta serena*, id est, hilari bonitate & lubentiâ, qualis in te est, & rara querela inter vos oriatur, velut dissimiles. Vides nexum pulcherrimum, & omnia scripturæ veræ vestigia in corrupta priori. Deinde ait: *Sic natus tibi sit similis & subeat*, id est per vestigia tua paulatim incedere incipiat; hoc enim est Latinis *subire*, ut mox audies. Cum vero sequentis vocis *similis* initialis litera accessisset præcedenti, *juvenis* tanto citius ortum, cum *juveni* jam corruptum esset ex *τῷ subeat*. Nemo vero nescit literas *v.* & *b.* in antiquis libris perpetuo permisceri. Habes itaque pro inepto *juveni jubeni* rectissime *subeat, subeat*. Audi nunc alios. Virgilius *Æn.* lib. X. v. 370. apposite de filio: *Per ducis Evandri nomen, devictaque bella, Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudi*. Imitatur eadem Aufonius Profess. *Epigr.* V. *Subtextus esto flebili threno patris, Laudi ut subibas æmulus*; & Guntherus noster *Ligur.* lib. I. v. 109. *Patriæ scētatrix æmula laudis*. Nasoni ipsi *τὸ subire* pro *sequi* usitatissimum. *Metam.* tib. XIV. v. 612. *clarum subit Alba Latinum*. Et sic alibi crebro. Cæterum eundem superiorem Ovidii locum imitatur Statius *Sylvar.* lib. IV. *Carm.* VIII. v. 11. & 26. ubi vide; nos enim ad finem properamus jam pene inter tot alias curas & labores, quibus distrahimur, defatigati. Unicum addam locum ejusdem OVIDII NASONIS, qui verè crux eruditorum fuit, & cui neminem illorum mederi potuisse id vero miror. Inserviat iterum rei præfenti. Initium erat Veris post asperrimam hiemem, quando hæc rerum mutatio fuit facta tanto tamque præclaro Rege nobis erepto & gravissimi morbi doloribus subtrahito, tantoque mox Filio ejus in Regem & solamen concessio. OVIDIUS *Trist.* lib. III. *Eleg.* 12. statim in initio talem anni tempestatem describit:

*Frigora jam Zephyri minuunt, annoque peracto **
* *Longior antiquis visa Mæotis hiems. **
Impositamque sibi qui non bene pertulit Hellen
Tempora nocturnis æqua diurna facit.

O cælum, o terra, o maria Neptuni, quæ hic turbæ à Criticis ob facinora librorum concitatae sunt! Quid velit Auctor, in aprico est; sed ut sensum eliciant illum, qui requiritur, ut labem contra legem Pediam in voce *Meotis* commissam eluant, cælum terramque movent, & nihil tamen proficiunt, sed laterem lavant; tanto magis quia initio Elegiæ locus in oculos incurrit. Nisi necessitas eum tueretur, dudum à Nic. Heinio solita temeritate velut spurius fuisset damnatus; cujus præceps calor infinitis locis alibi à nobis demonstratur. In MS. nihil auxilii superest; nam quod ἀντὶ τῆς *longior* alii nonnulli *largior*, vel *Tardior* habent, ineptiunt planè. Omnes itaque ingenii nervos intenderunt Docti, velut signo dato, ut huic præcipue loco succurrerent. Sed cum nos alibi longe longeque feciora feliciter, ut spero, & manifeste emendemus, idem huic ulceri minori certe labore continget. Jac. Micyllus ingenuè fatetur, se juvare non posse. Laudo candorem viri Germani. Georg. Bersmannus *meavit hiems* divinat. Herc. Ciofanus in luto hærens nec hic nec alibi se Herculem ἀλεξίκαλον, certe rarissime præstat. Nic. Heinio *meavit Bootis hiems*; ad Prudentium vero in Notis pag. 12. putat forte Ovidium priorem τῆς *Meotis* peculiari licentia corripuisse. Adeo fluctuabat. Sed vana sunt omnia. Tan. Faber conjiciebat à nobis *versa Meotis*, scilicet adhuc plura corrumpens, ut fieri solet perturbatione semel coorta. Ulterius grassabatur Jacob. Gronovius legens *Largior Antæcis instat Atbois hiems*. Vah facinus! Quid dicam? at taceo. Petr. Francius existimans se maxime Ovidium debere intelligere malebat *Longior Euxinis frustra*, & nulli usui. Eduardus Bruceus tam certo credebat, hic Ovidium *visa Meotis byems* scripsisse, ut hoc foedo loco invitatus ausus fuerit Gratio in Cyneg. §. 55. obrudere ad *status Phœnices oppande serenæ*. Sed satis ille vapulavit, uti facile est tam crassas ineptias omnibus deridendas propinare. Burmannus autem hanc conjecturam proponit à Regulis Divæ Criticæ satis abhorrentem *annoque peracta Longior antiquis visa fugatur*. Mox iterum vacillat, & modo τὸ *Bootis* Heinii laudat, modo dubitat, an *Meotis* defendi queat. Hactenus perventum; imò hactenus nihil profus effectum. Frustra voces *Longior antiquis* sollicitantur; nihil illis sincerius. Frustra vox *Meotis* defenditur; nihil illa hic foedius ineptiusque; nam primò non hoc tantum vult dicere, hiemem præcedentem cæteris longiorem fuisse, sed eam jam vera mitigatam fuisse, unde præmiserat ista: *Frigora jam Zephyri minuunt*, quibus hæc connectuntur; deinde in voce *Meotis* priorem syllabam nemo veterum, nec ipse Naso alibi corripuit. Producitur omnibus. Ovidium vero in talibus religiosissimum fuisse, satis mirificus ejus suavissimusque lusus in Tuticani nomen è Pont. lib. IV. Eleg. 12. indicat. Hic itaque ulcus præcipuum later. In fine etiam prioris versus illa *annoque peracta* sunt depravata, ut mirer, quem illis retentis tolerabilem sensum extorqueri posse crediderint cæteri. Ergo vero nunc tandem (en fiduciam nostram!) non hariolor, non vaticinor (hoc enim Ciceroni idem interdum notat quod mentiri) sed conceptis verbis testor, Nasonem ita scripsisse & edidisse:

Frigora jam Zephyri minuunt, annisque peractâ

Longior antiquis visa remisit hiems.

Impositamque sibi qui non bene pertulit Hellen

Tempora nocturnis æqua diurna facit.

Hæc genuina fuit scriptura Nasonis. Zephyri jam minuunt, inquit, frigora, & hiems illa, quæ nobis longior visa fuit, quam qualis antea vel antiquis annis hic peracta, tandem remisit. Hæc clara, manifesta, cohærentia præcedentibus & sequentibus. Error irrepit primo ob similitudinem vicinarum vocum *visa* & *remisit* præsertim elisa syllaba *re*, secundo quia veteres librarii cum sine diphthongis scribentes exhiberent pro *Meotis Meotis*, ex *misit mesit, metis, meotis* paulatim cuderunt & ita scribendum esse putarunt. Vide Pier. Valerianum ad Virg. Georg. lib. III. §. 349. de hac ipsa scriptura *meotis*. Adde usum istius verbi *remisit* unice huc pertinentem. Ovid. Epist. Phædr. §. 51. *Cum se furor ille remisit*. Epist. Her. §. 23. *Est ubi sevitia paulum gravis unda remisit*. Tibullus lib. III. Eleg. V. §. 4. *simillime. Quum se purpureo vere remittit hiems*. Claudian. in Rufin. lib. II. §. 101. *Zephyris cum primum bruma remitti*. &c. Ovid. Fast. lib. IV. §. 126. *iterum. Vere nitent terra, vere remissus ager*. Lucanus lib. I. §. 17. *Et qua bruma rigens, ac nescia vere remitti*. Cæsar de Bell. Gall. lib. V. cap. 12. *Loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus*. Et quid proclivius hoc correctione? ut jam ostendimus. Contra apud Justinum lib. II. cap. I. pro iis in *Meotim tum deinde in Ponticum*, in nostro MS. librarii corruerunt in *mare oticum deinde* &c.

Ita apud Propertium lib. III. Eleg. 9. §. 14. pro τῆς *Meotis* nonnulli fecerant *injectis* teste Jano Broukhufio. Promiscue autem dici *hiemem remittere*, & *se remittere* ipsi te Lexicographi docebunt; nos enim jam scriptionis hujus pertæsi filum abrumpimus.

F I N I S.

O cælum, o terra, o maria Neptuni, quæ hic turbæ à Criticis ob facinora librari-
 orum concitatæ sunt! Quid velit Auctor, in aprico est; sed ut sensum eliciant
 illum, qui requiritur, ut labem contra legem Pediam in voce *Meotis* commissam
 eluant, cælum terramque movent, & nihil tamen proficiunt, sed laterem lavant;
 tanto magis quia in voce *Elegiæ* locus in oculos incurrit. Nisi necessitas eum tue-

retur, dudum à Neptuno
 jus præceps calor i
 perest; nam quod
 planè. Omnes ita
 præcipue loco succ
 ut spero, & manife
 Jac. Micyllus inge
 ni. Georg. Bersm
 hic nec alibi se He
 vult *Bootis hiems*;
 rem *Meotis* pec
 Tan. Faber conjic
 fieri solet perturba
Largior Antæcis in
 Francius existimat
 frustra, & nulli u
Meotis hyems scrip
 §. 55. obtrudere a
 cile est tam crassâ
 conjecturam prop
Longior antiquis vij
 dat, modo dubitat
 nihil profus effectum
 vox *Meotis* defenditur
 hiemem præcedentem
 miserat ista: *Frigora*
 rem syllabam nemo v
 in talibus religiosissim
 lib. IV. Eleg. 12. indi
noque peractio sunt dep
 diderint cæteri. Ergo
 (hoc enim Ciceroni
 scripsisse & edidisse:

Hæc genuina fuit scri
 nobis longior visa fuit
 clara, manifesta, col
 vicinarum vocum
 diphthongis scribent
 runt & ita scribendu
 hac ipsa scriptura me
 §. 51. Cum se furor
 bullus lib. III. Eleg.
 lib. II. §. 101. Zeph
 nitent terra, vere re
 Cæsar de Bell. Gall.
 Et quid proclivius h
 in *Meotim tum dein*
 Ita apud Propertiu
 Broukhufio. P



rius fuisset damnatus; cu-
 r. In MS. nihil auxilii su-
Tardior habent, ineptiunt
 velut signo dato, ut huic
 ongeque fœdiora feliciter,
 ori certe labore continget.
 modo candorem viri Germa-
 iofanus in luto hærens nec
 æstat. Nic. Heinſius ma-
 putat forte Ovidium prio-
 abat. Sed vana sunt omnia.
 huc plura corrumpens, ut
 ar Jacob. Gronovius legens
 id dicam? at taceo. Petr.
 re malebat *Longior Euxinis*
 edebat, hic Ovidium *visa*
 s fuerit Gratio in Cyneget.
 satis ille vapulavit, uti fa-
 e. Burmannus autem hanc
 horrentem *annoque peractio*
 modo *Meotis* Heinſii lau-
 perventum; imò hæctenus
 ; nihil illis sincerius. Frustra
 ad non hoc tantum vult dicere,
 era mitigatam fuisse, unde præ-
 ur; deinde in voce *Meotis* prio-
 ucitur omnibus. Ovidium vero
 lusus in Tuticani nomen è Pont.
 sine etiam prioris versus illa *an-*
 em sensum extorqueri posse cre-
 ! non hariolor, non vaticinor
 eptis verbis testor, Nafonem ita

peractâ
 Jellen
 ait, frigora, & hiems illa, quæ
 peractâ, tandem remisit. Hæc
 irrepſit primo ob similitudinem
 modo quia veteres librarii cum sine
 sit, *metis, meotis* paulatim cude-
 Virg. Georg. lib. III. §. 349. de
 pertinentem. Ovid. Epist. Phædr.
 paulum gravis unda remisit. Ti-
 mittit hiems. Claudian. in Rufin.
 ast. lib. IV. §. 126. iterum. Vere
 ima rigens, ac nescia vere remitti.
 in Gallia, remissioribus frigoribus.
 pud Justinum lib. II. cap. I. pro iis
 erunt in mare oticum deinde &c.
 nulli fecerant *inactis* teste Jano
 remittere ipsi te Lexicographi

docebunt; nos enim jam scriptionis hujus pertæti filum abrumpimus.

F I N I S.